T. Cullen

THOS. J. CULLEN.

# Bibliotheca Sanctorum Patrum


Theologiae tironibus et universo clero accommodata.

Curante IOSEPHO VIZZINI Sacrae Theologiae
Professore in Pont. Instit. S. Apollinaris, Romae.

SERIES TERTIA

## SCRIPTORES LATINI

ANTENICAENI




ROMAE

*Apud Directionem Bibliothecae Ss. Patrum*

*Via dei Crescenzi, 13-15.*

# M. Minucii Felicis

# Octavius

---

# Q. Sept. Florentis Tertulliani

# Apologeticum

---

BIBLIOTHECAE SER. III

VOLUMEN I

---

ROMAE 1950

*Ex Officina typographica Forzani et Socii*

*Via Dogana Vecchia, 26.*

---



---

IMPRIMATUR
Fr. ALBERTUS LEPIDI, O. P. S. P. A. Magister.

IMPRIMATUR
IOSEPHUS CEPPETELLI, Archiep. Myren. Vicesgerens.

# M. MINUCII FELICIS

# OCTAVIUS

# PROLEGOMENA

## I.

### Notitiae biographicae M. Minucii Felicis.

De M. Minucio Felice paucissima cognoscuntur. Natus est ex parentibus ethnicis. Nonnulli patria Africanum dixerunt, sed alii negarunt. Certe diu Romae mansit, sicut ex Lactantio (*Instit. div.* V, 1) et Hieronymo (*De vir. ill.* 58; *Ep. LXX ad Magnum*) deducitur, et ab ipso Minucio confirmatur (*Oct.* c. II). Causidicus Romae fuit; a Lactantio (op. c. l. c.) appellatur « non ignobilis inter causidicos loci », et a Hieronymo (*De vir. ill.* 58), « Romae insignis causi- « dicus ». (Cfr. *Oct.* c. II: « ad vindemiam feriae « iudiciariam curam relaxaverant »). Amicitia devinctus erat cum Octavio Ianuario et Caecilio Natali. Octavius, patria Africanus, in sua provincia causarum patrocinium suscepit; postea Romam contendit, relicta coniuge et liberis, ut Minucium conveniret; cum scriptus est dialogus, iam ex vita migraverat (cfr. *Oct.* c. I–II). Caecilius Romae commorabatur, sed videtur Africanus origine, nam

tanta vi loquitur de patria Frontonis, ut Cirtensem etiam ipsum esse coniciatur (cfr. *Oct.* c. IX: « Cir-« tensis noster », ait Caecilius; c. XXXI: « Fronto « tuus », dicit Octavius). Omnes, quamvis ethnicismo addicti, ad religionem christianam venerunt. Primus fuit Octavius (cfr. *Oct.* c. I), deinde accessit Minucius (cfr. *Oct.* l. c.), denique opera Octavii, etiam Caecilius idololatriam respuit et christianismum amplexus est (cfr. *Oct.* c. XL). De ceteris Minucii gestis eiusque mortis aetate nihil apud antiquos scriptores invenitur.

## II.

### De operibus M. Minucii Felicis.

Sub nomine Minucii vulgatum est opus cui titulus: *De fato* vel *Contra mathematicos* (cfr. Hieron. *De vir. ill.* 58). Occasionem huic opinioni praebuisse videntur verba Minucii per *Octavium* c. XXXVI: « Ac de fato satis, vel si pauca pro tempore, dispu-« taturi alias et uberius et plenius ». At sicut Hieronymus (op. c. l. c.; cfr. *Ep.* LXX, 5) monuerat, « cum sit et ipse diserti hominis, non mihi « videtur cum superioris libri (*Octavius*) stilo con-« venire », et a recentioribus Minucio abiudicatur. Unicum igitur opus Minucii genuinum est *Octavius*.

Titulus nobis exhibetur a Lactantio (*Instit. div.* I, 11; V, 1) et a Hieronymo (*De vir. ill.* 58).

Forma est dialogica. Argumentum, quod evolvitur, consistit in defendenda christianae religionis veritate et in errore ethnicismi demonstrando; simul etiam refelluntur calumniae, quae christianis ab ethnicis obiciebantur. Interlocutores tres sunt: Caecilius academicus, qui ethnicismi partes tenet; Octavius christianus, qui apologistae munus gerit; Marcus seu Minucius, qui arbiter inter eos statuitur. Disputatio evenisse ponitur ad maris litus Ostiense, quo feriis septembris tres amici se contulerant, (*Oct.* c. II) et conversione Caecilii absolvitur (*Oct.* c. XL).

Quod si quaeratur de aetate *Octavii* diversae sunt criticorum sententiae. Cum nullum adsit extrinsecum testimonium, ad intrinseca indicia recurrendum est. Porro *Octavius* Minucii absque dubio affinitate coniungitur cum *Apologetico* Tertulliani. Quaestio igitur ad tres hypotheses reducitur: aut Minucius dependet a Tertulliano, aut Tertullianus a Minucio, aut uterque scriptor ex communi fonte. Discordia in hac quaestione solvenda maturrime prodiit: nam Lactantius videtur Minucium ante Tertullianum ponere (*Instit. div.* V, 1), Hieronymus contra collocat Tertullianum ante Minucium (*De vir. ill.* 53, 58). Postrema haec opinio usque ad nostra tempora praevaluerat; sed a. 1868 A. Ebert [1] prio-

(1) *Tertullians Verhältniss zu Minucius Felix* in *Abhandl. der sächsisch. Gesellsch. der Wissenschaft.* V (1870), Leipzig, p. 319 sqq. Cfr. *Geschichte der Litteratur des Mittelalters,* 1874, I, 24. sqq.

ritatem Minucio vindicavit. Nihilominus non omnes convenerunt; nam licet plures cum Ebert se coniunxerint, tamen alii cum Dessau,(1) Massebieau,(2) Neumann(3) prioritatem Tertulliani defenderunt,(4) alii vero cum Hartel(5) qui a. 1869 eam sententiam propugnavit, Wilhelm,(6) Kurz(7) communem fontem *Octavio* et *Apologetico* adsignarunt. Harnack origine communi reiecta, verisimile putat *Octavium* a Tertulliano dependere, eumque saec. III collocat.(8) Nunc vero communior et certa habetur sententia, quae

(1) *Bullettino dell' Istituto di Corrisp. archeologica,* Roma, 1880, p. 32 sq. – *Ueber einige Inschriften aus Cirta* in *Hermes,* XV (1880), p. 471 sqq. Cum series quaedam inscriptionum, quae ad tempora Caracallae (211-217) referuntur, Cirtae fuerint detectae, in quibus legitur nomen: « Marcus Caecilius Quinti Filius Quirina (tribu) Natalis », Dessau cum Caecilio, interlocutore *Octavii,* eum identificat, et quoniam adhuc ethnicus apparet, Dialogum dicit compositum post a. 210. Cfr. *Corpus Inscript. latin.* VIII, I, n. 7094-7098; cfr. n. 6996.

(2) L' « *Apologétique* » *de Tertullien et l'* « *Octavius* » *de Minucius Félix* in *Revue de l'histoire des religions,* XV (1887), p. 316 sqq. Adsignat *Octavium* inter a. 238-246.

(3) *Der römische Staat und die allgemeine Kirche,* Leipzig, 1890, I, 241, n. 6. Tribuit *Octavio* a. 248.

(4) Praetermittimus singularem opinionem V. Schultze (*Die Abfassungzeit der Apologie* « *Octavius* » *des Minucius Felix* in *Jahrb. für protest. Theologie,* 1881, p. 485 sqq.) qui *Octavium* ad saec. IV (inter a. 300-303) reiecit. Ad eam refellendam sufficit meminisse *Octavium* adhiberi a S. Cypriano in suo *De idolorum vanitate,* quod opus conscriptum est c. a. 248.

(5) Cfr. *Zeitschrift für österr. Gymnasien,* XX (1869), p. 348 sqq.

(6) *De Minucii Felicis* « *Octavio* » *et Tertulliani* « *Apologetico* » in *Breslauer philolog. Abhandl.* II, I (1887).

(7) *Ueber den* « *Octavius* » *des Minucius Felix mit dem Text von Kap. 20 bis 26 incl. Beilage zu Jahresber. über das Gymnasium in Burgdorf,* 1887-88, p. 1 sqq.

(8) *Geschichte der altchristl. Litteratur,* I, 647.

Minucium Tertulliano anteriorem ponit eumque principem antiquae litteraturae latinae christianae scriptorem considerat.(1)

## III.

### Valor "Octavii" M. Minucii Felicis.

Universa disputatio, quae sub nomine *Octavii* a Minucio ipso proponitur, quosdam praesefert characteres, qui sedulo sunt expendendi, ut rectum iudicium de valore operis proferatur. Quod enim ad doctrinam spectat, mysteria secretiora christianae religionis praetermittuntur, et tantummodo veritates, quae captui naturali magis sunt accommodatae, illustrantur. Similiter fontes demonstrationis ad ordinem naturalem pertinent; quamvis enim auctor sacros libros noverit, sicut ex c. XXXIV et XXXV,

(1) Cfr. Ehrhard, *Die altchristl. Litteratur und ihre Erforschung*, p. 289. Bardenhewer *Patrologie*, 2ª ed. 1901, p. 63 sqq. Critici, qui Ebert assentiuntur et prioritatem Minucio vindicant, discrepant inter se circa determinationem concretam aetatis *Octavii*. Ebert (op. c. l. c.) inter a. 170-190 eum exaratum dicit: De Félice (*Étude sur l' « Octavius » de Minucius Félix*, Blois, 1880; cfr. *Theol. Litterat. Zeitung*, 1881, p. 427 sqq.), ante secundam Iustini *Apologiam* (160); Schwenke (*Ueber die Zeit des Minucius Felix* in *Jahrb. für protestant. Theol.* p. 263 sqq.) tempore Antonini (138-161); Lösche (*Minucius Felix' Verhältniss zu Athenagoras* in *Jahrb. für protest. Theologie*, 1882, p. 168 sqq.) post Athenagoram, qui scripsit sub Marco Aurelio (161-180); Bährens (*M. Minucii Felicis « Octavium » emendavit et praefatus est*, Leipzig, 1886; V, sqq.) inter a. 162-163; Reck (*Minucius Felix und Tertullian* in *Theol. Quartalschrift*, LXVIII [1886], p. 64 sqq.) inter a. 160-197.

ubi *divinae praedictiones et oracula prophetarum* commemorantur, eruitur, nullum tamen Scripturae testimonium occurrit; omniaque argumenta ex ratione et litteratura profana derivantur, et plura etiam ethnicorum scriptorum vestigia (cfr. Cicero, *De natura deorum* et *De divinatione*; Seneca, *De providentia* et *De superstitione*) facile deprehenduntur. Ex hac indole philosophica magis quam dogmatica operis nostri factum est, ut R. Kühn [1] nullum in eo specificum christianae religionis indicium adesse putans, arbitraretur Minucium nomine Christianismi intellexisse Monotheismum quemdam morale–philosophicum; cui paucis post annis Aem. Bährens succedens ipsam Christi divinitatem a Minucio penitus ignoratam asserere non dubitavit.

Iamvero utraque opinio facile diluitur. Penes *Octavium* enim plures reperiuntur doctrinae, quae in sola religione christiana, nec in alia quavis philosophica secta, tenebantur. Tales sunt, ex. gr., resurrectio mortuorum et poenae sempiternae ignis inferni reprobis hominibus reservatae. Quamvis igitur affinitas aliqua sit inter Stoicorum scholam et religionem christianam, quam Minucius depingit, nullo iure tamen conceptio Minuciana Christianismi cum Stoicismo identificari potest. Etiam divinitas Christi quantum satis est exprimitur. Caecilio enim arguenti quod christiani hominem crucifixum

(1) *Der « Octavius » des Minucius Felix. Eine heidnisch-philosophische Auffassung von Christenthum*, Leipzig, 1882.

colerent, Octavius respondit: « Quod religioni no-
« strae hominem noxium et crucem eius adscribitis, « longe de vicinia veritatis erratis, qui putatis Deum « credi aut meruisse noxium aut potuisse terre- « num. Nae ille miserabilis, cuius in homine mor- « tali spes omnis innititur; totum enim eius auxi- « lium cum exstincto homine finitur » (c. XXIX). Iam nisi caeci esse velimus, Octavius hisce verbis, licet indirecte, divinitatem Christi recognoscit, quippe qui spem suam omniumque christianorum non in homine mortali, sed in ipso Christo Deo repositam contra ethnicos asserit. [1] Adsunt igitur in *Octavio* characteres specifici Religionis christianae.

Gravior tamen est difficultas, quae ex silentio mysteriorum christianorum, Trinitatis, ex. gr., Eucharistiae etc. desumitur. Verum non desunt explicationes, quae omissionem illam certo gravem illustrent. Nonnulli cum Dombart, [2] Boissier, [3] Bährens, [4] Grillnberger [5] ad systema accommodationis confugiunt, dicentes Minucium data opera

(1) Cfr. EHRHARD, *Die altchristl. Litterat. und ihre Erforschung von 1880-1884*, Freiburg, 1894, p. 116 sqq.; BARDENHEWER, *Patrologie*, 2ª ed. Freiburg, 1901, p. 63.

(2) *« Octavius ». Ein Dialog des Minucius Felix übersetzt*, 2ª ed. Erlangen, 1881.

(3) *L' « Octavius » de Minucius Felix* (*Journal des savants*), Paris, 1883, p. 436 sqq.

(4) Op. cit. l. c.

(5) *Studien zur Philosophie der patristischen Zeit.* I. *Der « Octavius » des Minucius Felix* (*Jahrb. für Philosoph. und spekul. Theologie*, III (1889), pp. 104 sqq.; 146 sqq.; 260 sqq.

a mysteriis revelandis abstinuisse, ut Caecilio omnibusque ethnicis, quibus dialogus erat destinatus, sese accommodaret. Sed alii, ut Schanz,[1] opinantes Minucium refellere sibi proposuisse sermonem Frontonis contra christianos, ex fine rationem limitationis argumenti et silentii mysteriorum deducunt. Ceterum quod auctor non omnia voluerit tradere capita doctrinae christianae ex conclusione manifestum est, cum Caecilius ait: « Etiam nunc tamen aliqua « consubsidunt non obstrepentia veritati, sed per« fectae institutioni necessaria, de quibus crastino, « quod iam sol occasui declivis est, ut de toto « congruentes promptius requiremus » (c. XL). Quaestio igitur remanet intra sphaeram evolutionis litterariae apologiae christianae; neque ex silentio Minucii quidquam contra doctrinam mysteriorum iure desumitur.

Nihilo tamen secius magna est utilitas, quae sacris disciplinis ex *Octavio* derivatur. Nam Octavius postquam Dei cognoscibilitatem et investigationem contra Caecilii redargutiones (c. V-VIII, XI), christianis proportionatam constituit (c. XVI-XVII), plura de Deo tradit et demonstrat. Sic *exsistentiam Dei* argumento cosmologico evincit (c. XVII-XVIII; cfr. V, XII), eaque in tuto collocata, in primis pluribus rationibus *unitatem*, quae tunc temporis acerrime impugnabatur, cum auctoritate phi-

(1) *Geschichte der römisch. Litterat.* p. 233.

losophorum (c. XIX) tum etiam terrenorum regnorum et rerum naturalium analogia (c. XVIII) prosequitur; deinde vero disputationes de *nomine Dei* (c. XVIII) eiusque *natura simplicissima* (c. XXXII) variisque *attributis* (c. XXXII-XXXIII) adiungit. Maxima omnibus temporibus fuit quaestio de providentia Dei; nec deesse poterat apud *Octavium* cum vehementer denegaretur ab ethnicis, sive propter eventus prosperos malis, infaustos bonis hominibus contingentes (c. V), sive propter ipsorum martyrum christianorum supplicia et mortem (c. XII), sive denique propter opinionem fatalisticam (c. XI). Octavius obiecta dissipat dubia (c. XVIII, XXXVI-XXXVII) divinamque providentiam solide evincit. Neque fata ultima hominum negliguntur; nam resurrectionem mortuorum, et mundi destructionem per ignem, quas doctrinas Caecilius denegaverat et irriserat (c. XI), Octavius confirmat (c. XXXIV), poenasque aeternas per ignem reprobis decretas enuntiat (c. XXXV). Plura igitur a Minucio suppeditantur in bonum nostrae Theologiae.

Haud minora sunt commoda quae in historiam ecclesiasticam derivant. Ex *Octavio* enim hauriuntur notitiae apprime utiles ad cognoscendas relationes inter christianam atque ethnicam societatem. Infandae calumniae christianis adtribuebantur; infanticidium, anthropophagia, incestus, asini sacerdotumque genitalium cultus (c. IX). Octavius non

solum omnes refellit, sed etiam accusationes illas in ethnicos retorquet (c. XXVIII, XXX–XXXI). Congerebantur praeterea convicia plura quoad vitam sive religiosam sive socialem christianorum. Arguebantur quod templa despicerent gentilium (c. VIII), a spectaculis abstinerent (c. XII), mortuos sepelirent (c. XI), floribus et unguentis diversimode ac gentiles uterentur (c. XII). Talia digna esse putabantur viris « deploratae, illicitae ac de- « speratae factionis », « de ultima fece collectis », « seminudis », ex quibus « latebrosa » et « luci- « fuga » natio christianorum coalesceret (c. VIII). Octavius omnia singillatim expendit (c. XXXI, XXXIV, XXXVI, XXXVIII). Similiter de cultu christianorum falsae apud gentiles opiniones vulgatae fuerant, quibus imbutus Caecilius synaxes, ieiunia solemnia (c. VIII), defectum templi, arae, simulacri (c. X), cultum hominis crucifixi ipsiusque crucis carpit (c. IX, X). Ad rumores illos confusos eradicandos, Octavius, iuxta principia christianae religionis, quaedam omnino negat, quaedam utique concedit, sed prout necesse erat, declarat (c. XXIX, XXXII). Ex his apparet, quanta lux in historiam Ecclesiae diffundatur.

Postremo *Octavius* noster doctrinae, quae historiam religionum inquirit, summopere interest. Caecilius enim non solum christianam religionem aggreditur, sed etiam omnibus viribus veritatem idololatriae variis argumentis conficere nititur. Ipse

ratiocinatur sive ex maiorum traditione et antiquitate ethnici cultus (c. VI), sive ex imperii Romani ope deorum adaucta magnitudine (c. VI), sive denique ex miraculis et praedictionibus, quas ethnici ex oraculis, auspiciis, auguriis, somniis colligebant (c. VII). Porro Octavius postquam argumenta illa refutavit (cfr. respective c. XX, XXV, XXVI-XXVII), falsos esse deos demonstrat ex ridiculis eorum formis (c. XXII), ex confectione simulacrorum (c. XXIII, XXIX), ex turpissimis eorum factis (c. XXIII), ex mysteriis denique, quibus colebantur (c. XXII–XXIV); simulque originem ethnicismi exinde repetit, quod numina homines cum essent (c. XXI), ob merita virtutis vel beneficia in societatem collata, divinos honores apud gentes obtinuerunt (c. XX-XXI). Memoranda est inter alia doctrina Minucii circa oracula et prodigia gentilium, quorum miros effectus daemonum interventu demonstrat.

Pretiosas huiusmodi doctrinas stilus elegans, comptus, expolitus, licet interdum vitio temporis infectus, exornat; adeo ut Ernestus Renan *Octavium* nostrum dicere non dubitaverit: *la perle de l'apologétique chrétienne.* Ipsi praeclari saec. II scriptores, Fronto, Aulus Gellius, Apuleius, Minucio primum locum facile concedunt. Quapropter sive ob rerum gravitatem, quarum plurimae congruunt etiam nostris temporibus, sive ob lumina orationis, adolescentibus omnibus dialogus Minucianus commendatur.

# BIBLIOGRAPHIA

**Editio princeps**: inter *Opera* ARNOBII, F. SABAEUS, Romae, 1543; separata, FR. BALDUIN, Heidelberg, 1560.(1) FULV. URSINUS, Romae, 1583. — ED. DES. HERALDUS, Paris, 1605; 2ª ed. 1613. — RIGAULT, Paris, 1643; 2ª ed. 1645. — J. OUZELIUS, Lugduni Batav., 1652. — J. DAVIS, Cantabr., 1707. — J. GRONOVIUS, Lugduni Batav., 1709; Rotterdam, 1743. - J. G. LINDNER, Langensalza, 1760; 2ª ed. 1773. — C. DE MURALT, Zürich, 1836. — J. H. LÜBKERT, Leipzig, 1836. — MIGNE, *Patr. Lat.* III, Paris, 1844. — FR. OEHLER, Leipzig, 1847. — A. HOLDEN, Cambridge, 1853. — J. B. KAYSER, Paderbon, 1863. — C. HALM, Wien, 1867 (*Corpus script. eccl. latin.* II). — H. HURTER, Innsbruck, 1871 (*Ss. Patr. opusc. sel.* XV). — J. J. CORNELISSEN, Leiden, 1882. — F. LÉONARD, Namur, 1883. -- C. BÄHRENS, Leipzig, 1886. — Cfr. SCHÖNEMANN, *Bibl. hist.-lit. Patr. latin.* I, 62-77.

**Versiones.** J. G. RUSSWURM, Hamburg, 1824. — J. H. B. LÜBKERT, Leipzig, 1836. — A. BIERINGER, Kempten, 1871 (*Bibl. der Kirchenväter*). — B. DOMBART, Erlangen, 1877; 2ª ed. 1881. — H. HAGEN, Bern, 1890.

(1) Duo sunt codices, qui *Octavium* continent: Parisinus n. 1661 (saec. IX) et Bruxellensis (saec. XVI). Ex his Parisinus tantum independens; Bruxellensis apographus Parisini est. Porro in codice Parisino *Octavius* librum VIII Arnobii operis *Contra Gentes* efformat, eaque confusio exinde explicatur, quod amanuenses pro *Octavio* facile *Octavum* scripserunt. Hinc est quod Faustus Sabaeus *Octavium* cum opere Arnobii primus edidit; sed postea Minuciana origine detecta, Fr. Balduin separatum vulgavit.

**Monographiae.** H. MEIER, *Comm. de Minucio Felice*, Zürich, 1824. — C. RÖREN, *Minuciana, id est Annot. critic.* etc. *praemissa commentatione de ipsius scriptoris aetate*, Bedburg, 1859. — J. B. KAYSER in *Quartalschr. für Kathol. Theol.* I, 4, 1862. — A. EBERT, *Tertullians Verhältniss zu Minucius Felix nebst einem Anhang über Commodians « Carmen Apologeticum »* in *Abhandl. der sächsisch. Gesellsch. der Wissenschaft.* V (1870), Leipzig, pp. 319-420. — *Geschichte der Litteratur des Mittelalters*, 1874, I, 24 sqq. — W. HARTEL, in *Zeitschrift für österr. Gymnasien*, XX (1869), pp. 348-368. — E. BEHR, *Der « Octavius » des M. Minucius Felix in seinem Verhältnisse zu Ciceros Büchern « De natura deorum »* (Dissertatio inauguralis), Gera, 1870. — A. FABER, *De M. Minucio Felice commentatio* (Progr.), Nordhausen, 1872. — TH. KEIM, *Celsus' Wahres Wort. Aelteste Streitschrift antiker Weltanschauung gegen das Christenthum ... mit Lucian und Minucius Felix verglichen*, Zürich, 1873. — P. DE FÉLICE, *Étude sur l'« Octavius » de Minucius Félix* (Thèse), Blois, 1880. — V. SCHULTZE, *Die Abfassungzeit der Apologie « Octavius » des Minucius Felix* in *Jahrb. für protest. Theologie* VII (1881), pp. 485-506. — G. LÖSCHE, *Minucius Felix' Verhältniss zu Athenagoras* in *Jahrb. für protest. Theol.* VIII (1882), pp. 168-178. — R. KÜHN, *Der « Octavius » des Minucius Felix. Eine heidnisch-philosophische Auffassung vom Christenthum*, Leipzig, 1882. — P. SCHWENKE, *Ueber die Zeit des Minucius Felix* in *Jahrb. für protest. Theol.* IX (1883), pp. 263-294. — FR. X. RECK, *Minucius Felix und Tertullian* in *Theol. Quartalschr.* LXVIII (1886), pp. 64-114. — FR. WILHELM, *De Minucii Felicis « Octavio » et Tertulliani « Apologetico »* in *Breslauer philologische Abhandlungen*, II, 1. Breslau, 1887. — M. L. MASSEBIEAU, *L'« Apologétique » de Tertullien et l'« Octavius » de Minucius Félix* in *Revue de l'histoire des religions*, XV (1887), mai-juin, pp. 316-346. — E. KURZ, *Ueber den « Octavius » des Minucius Felix mit dem Text von Kap. 20-26 incl.*, Burgdorf, 1888. — O. GRILLNBERGER, *Studien zur Philosophie der patristischen Zeit* in *Jahrb. für Philos.*

*und spekulat. Theol.* III (1889), pp. 104-118; 146-161; 260-269. — K. J. Neumann, *Der römische Staat und die allgemeine Kirche*, I, Leipzig, 1890, pp. 241 sqq. 250 sqq. — B. Seiller, *De sermone Minuciano* (Progr.), Augustae Vindob., 1893. — M. Schanz, *Die Abfassungzeit des « Octavius » des Minucius Felix* in *Rhein. Mus.* L (1895), pp. 114-136. — *Gesch. der römisch. Litter.* III (1896), pp. 229-239. — E. Norden, *De Minucii Felicis aetate et genere dicendi* in *Wiss. Beil. zum Vorlesungsverzeichniss der Univers. Greifswald*, 1897, pp. 1-14.

Cfr. Chevalier, *Répertoire des sources historiques*, 1583, p. 2744. — Richardson, *Bibliographic. Synopsis*, pp. 48-50. — A. Ehrhard, *Die altchristliche Litteratur und ihre Erforschung von 1880-1884*, Freiburg, 1894, pp. 113-117; *von 1884-1900*, Freiburg, 1900, pp. 284-292.

# SYNOPSIS

Introductio. I. Memoria Octavii, quae Minucio erat carissima, occasionem exhibet describendi disputationem, qua Caecilius ad religionem christianam adductus est. II. Cum Octavius feriis forensibus Romam venisset, cum Minucio et Caecilio Ostiam ad balnea pergit. Caecilius in itinere, manum ori admovens, Serapidis simulacrum osculatur. III. Octavius Minucio exprobrat superstitionem Caecilii, utpote quae in eum, qui Caecilii amicus erat, redundaret. IV. Caecilius, subtristis de obiurgatione Octavii, petit, ut cum eo de suae religionis veritate disputet. Annuit Octavius. Minucius arbiter sedet.

Disputatio Caecilii. V. Caecilius disputationem aggressus, omnia incerta esse contendit; christianos arguit, quod licet rudes, de divina maiestate doctrinas proferre audeant; Dei providentiam denegat; concludit avitis religionibus esse adhaerendum. VI. Quaelibet natio numina sua coluit. Romani universa, et sic omnia regna meruerunt. VII. Auspicia et auguria observata felicitatem, omissa damnum Romanis tribuerunt. VIII. Minime ferenda est doctrina Theodori, Diagorae ac Protagorae, qui deorum religionem vel penitus tollere vel saltem infirmare voluerunt. Multo minus latebrosa et lucifuga natio christianorum, qui deos despuunt incredibili audacia. IX. Diversae contra christianos accusationes exponuntur. Cultus capitis asini, genitalium sacerdo-

tum, hominis crucifixi et crucis, caedes infantis, cruentus ritus initiationis, incestus foedissimus in conventibus. X. Exprobratur occultatio christianorum et defectus arae, templi, simulacrorum. Doctrina de Deo uno, qui omnia cognoscit, deridetur. XI. Aliae doctrinae de mundi incendio, corporum resurrectione, vita futura, quae iustis beata, iniustis infelix in aeternum sit, despiciuntur. XII. Ex praesentibus christianorum calamitatibus infelix eorum status post mortem a Caecilio arguitur. XIII. Concludit tandem Caecilius repudiandam religionem novam, nec de rebus dubiis temere pronuntiandum. XIV. Caecilius provocat Octavium, ut argumentis suis respondeat. Minucius Caecilium monet, ne tam leviter exsultet. XV. Caecilius a Minucio postulat, ut loquendi facultatem Octavio cedat.

Disputatio Octavii. XVI. Octavius, responsionem aggressus, statuit in primis nemini aegre ferendum, quod christiani, quantumvis indocti, de caelestibus rebus disputent; non enim disputantis auctoritas, sed disputationis ipsius veritas est spectanda. XVII. Homo cognoscere debet seipsum, sed haec cognitio haberi nequit sine Deo. Creatio et gubernatio ex mundi ipsius constitutione et ornatu deprehenduntur. XVIII. Providentia Dei etiam ad singulas mundi partes extenditur. Exempla terreni imperii. Quamvis Deus sit infinitus et immensus et sibi tantum perfecte cognitus, tamen sublatis nominum additamentis a nobis etiam cognoscitur. XIX. Poetae Deum hominum divumque Parentem, omnium rerum Creatorem, mentem et spiritum appellarunt. Etiam praestantiores philosophi eadem fere ac christiani de Deo uno docuerunt. XX. Antiquorum opinio circa deorum religionem philosophorum doctrinis et rudi simplicitate, qua legendas receperunt, refellitur. XXI. Mortales in deos fuisse assumptos doctrina historicorum et sapientium confirmatur. Ethnici deos fingunt homines mortales, non ad fidem

numinis, sed ad honorem emeritae potestatis. Verus Deus neque ortum habet neque occasum. XXII. Exponuntur deorum fata et funera et tristes exitus. De forma et figura deorum. XXIII. Deorum fabulas imperiti homines invexerunt, poetae propagarunt, atque huiusmodi mendaciis animi puerorum corrumpuntur. Imagines et simulacra deorum exagitantur. XXIV. Quorundam deorum mysteria ridiculos, obscenos et crudeles ritus complectuntur. XXV. Romani imperium universale constituerunt non quia religionem deorum observarunt, sed quia impune sacrilegi exstiterunt. XXVI. Argumentum, quod Caecilius ex auspiciis et auguriis deprompserat, Octavius retorquet. Etiam oracula nihil valent. XXVII. Oracula, auguria et auspicia sunt opera daemonum, qui adiurati a christianis, cum ex obsessis corporibus eiciuntur, rem manifestant iidemque odium excitant contra christianos. XXVIII. Etiam crimina, quae christianis tribuuntur, opera daemonum sunt invecta. Refelluntur calumniae sacrilegii, incestus, stupri, parricidii. Haec flagitia ab ethnicis potius patrantur. XXIX. Crucifixus non colitur a christianis propter crimina, quae nunquam commisit, sed propterea quod innocens erat et Deus. Contra ethnici reges a se inter deos relatos colunt. XXX. Falsissimum est christianos sanguinem infantis a se occisi potare. Contra ethnici infanticidium et abortum patrant. Christianis homicidium nec videre, nec audire fas est. XXXI. Incestus non christianis sed ethnicis imputandus. Convivia christianorum pudica et sobria. Etiam pudica coniunctio christianis nonnullis rubori est; multo magis incestus. XXXII. Christiani ideo templa et simulacra Dei non habent, quia Deus nec circumscribi, nec fingi potest, sed ubique praesens, etiam intima cordis scrutatur. XXXIII. Iudaei Deum prius deseruerunt, quam Deus Iudaeos desereret; hinc in servitutem redacti. XXXIV. Mundus igne comburendus; etiam philosophi ethnici id confirmant. Deus potest hominem ad vitam revocare. Natura resurre-

ctionem mortuorum adumbrat. XXXV. Iusti et pii homines felicitatem consequentur; iniusti poenas luent, utrique in aeternum. Mores christianorum sanctiores sunt, quam mores ethnicorum. XXXVI. De unoquoque nostrum Deus fatum est. Paupertas christianorum non ignominia est, sed gloria. Mala corporis, quae patiuntur, non sunt poena, sed militia. XXXVII. Spectacula digna Deo agones martyrum. Ethnicorum spectaculis christiani non intersunt, quia non minus impia, quam crudelia. XXXVIII. Christiani ab idolothytis abstinent ob reverentiam suae religionis. Flores viventes adhibent, sed mortuis non concedunt, quia aeternam coronam a Deo exspectant. Vera est eorum religio et ab omnibus suscipienda.

Conclusio. XXXIX. Effectus orationis Octavii. Minucius et Caecilius silent. Minucius quae Octavius dixerat recogitat. XL. Caecilius se victum ab Octavio profitetur, erroris tamen victorem. In crastinum differtur plenior mysteriorum institutio. Nunc laeti omnes discedunt: Caecilius quod crediderit, Octavius quod vicerit, Minucius quod hic crediderit et hic vicerit.

# MONITUM

Textum *Octavii* M. Minucii Felicis desumpsimus ex optima inter ceteras editiones, quam adornavit C. Halm in *Corpus Scriptorum Ecclesiasticorum Latinorum,* Vindobonae, 1867. Verba vel phrases, quae certo vel dubie saltem spuria censentur, uncinis ⟨ ⟩ inclusimus; emendationes vero et additamenta, quae maioris momenti videntur, uncinis [ ] comprehendimus.

# OCTAVIUS[1]

I. Cogitanti mihi et cum animo meo Octavii boni et fidelissimi contubernalis memoriam recensenti tanta dulcedo et affectio hominis inhaesit, ut ipse quodammodo mihi viderer in praeterita redire, non ea quae iam transacta et decursa sunt, recordatione revocare: ita eius contemplatio quantum subtracta est oculis, tantum pectori meo ac paene intimis sensibus implicata est. Nec immerito [decedens] vir eximius et sanctus immensum sui desiderium nobis reliquit, utpote cum et ipse tanto nostri semper amore flagraverit, ut et in ludicris et seriis pari mecum voluntate concineret eadem velle vel nolle: crederes unam mentem in duobus fuisse divisam. Sic solus in amoribus conscius, ipse socius in erroribus: et cum discussa caligine de tenebrarum profundo in lucem sapientiae et veritatis emergerem, non respuit comitem, sed quod est gloriosius, praecucurrit.[2] Itaque cum per universam convictus nostri et familiaritatis aetatem mea cogitatio volveretur, in illo praecipue sermone eius mentis meae resedit intentio, quo Caecilium superstitiosis vanitatibus etiamnunc

(1) Minucius Platonem (cfr. *Phaedon, Alcibiades, Socrates*) et Ciceronem (cfr. *Cato Maior, Brutus, Laelius*) imitatus, ex principe colloquentium persona Octavii nomen dialogo suo imposuit.

(2) *Caligo et tenebrae* ethnicam, *lux sapientiae et veritatis* christianam religionem designant. Minucius et Octavius, sicut diximus in *Prolegomenis* (I), ethnici antea fuerant; sed postea ad christianam religionem transierunt, ita tamen ut Minucio Octavius praecurreret.

inhaerentem disputatione gravissima ad veram religionem reformavit.

II. Nam negotii et visendi mei gratia Romam contenderat, relicta domo, coniuge, liberis, et quod est in liberis amabilius, adhuc annis innocentibus et adhuc dimidiata verba tentantibus, loquelam ipso offensantis linguae fragmine dulciorem. Quo in adventu eius non possum exprimere sermonibus, quanto quamque impatienti gaudio exsultaverim, cum augeret maxime laetitiam meam amicissimi hominis inopinata praesentia. Igitur post unum et alterum diem, cum iam et aviditatem desiderii frequens assiduitatis usus implesset et quae per absentiam mutuam de nobis nesciebamus, relatione alterna comperissemus, placuit Ostiam petere, amoenissimam civitatem, quod esset corpori meo siccandis humoribus de marinis lavacris blanda et apposita curatio: sane et ad vindemiam feriae iudiciariam curam relaxaverant. Nam id temporis post aestivam diem in temperiem semet autumnitas dirigebat. Itaque cum diluculo ad mare inambulando litore pergeremus, ⟨ut⟩ et aura adspirans leniter membra vegetaret et cum eximia voluptate molli vestigio cedens arena subsideret, Caecilius simulacro Serapidis denotato, ut vulgus superstitiosus solet, manum ori admovens osculum labiis impressit. (1)

III. Tunc Octavius ait: Non boni viri est, Marce frater,(2) hominem domi forisque lateri tuo inhaerentem sic in hac imperitiae vulgaris caecitate deserere, ut tam luculento die in

(1) Varii fuerunt modi, quibus gentiles numina sua venerabantur. Alii enim simulacra ipsa, alii dexteram suam, simulacro designato, osculabantur. De his HIERÒNYMUS ait: « Qui adorant, solent « deosculari manum suam » (*In Os.* XIII).

(2) « Octavius Marcum Minucium *fratrem* appellat, christianus christianum. At c. V Caecilius adhuc ethnicus eundem « Minucium sic etiam compellabit: « *quamquam tibi, Marce frater.* « Haec igitur appellatio fuit affectus et religionis: utriusque certe « in Octavio, affectus in Caecilio »; RIGAULT.

lapides eum patiaris impingere, effigiatos sane et unctos et coronatos,(1) cum scias huius erroris non minorem ad te quam ad ipsum infamiam redundare. Cum hoc sermone eius medium spatium ⟨civitatis⟩ emensi,(2) iam liberum litus tenebamus. Ibi arenas extimas, velut sterneret ambulacro, perfundens lenis unda tendebat, et ut semper mare etiam positis flatibus inquietum est, etsi non canis spumosisque fluctibus exibat ad terram, tamen crispis tortuosisque ibidem erroribus delectati perquam sumus, cum in ipso aequoris limine plantas tingeremus, quod vicissim nunc appulsum nostris pedibus alluderet fluctus, nunc relabens ac vestigia retrahens in sese resorberet. Sensim itaque tranquilleque progressi oram curvi molliter litoris, iter fabulis fallentibus, legebamus. Hae fabulae erant Octavii disserentis de navigatione narratio. Sed ubi eundi spatium satis iustum cum sermone consumpsimus, eamdem emensi viam rursus versis vestigiis terebamus, et cum ad id loci ventum est, ubi subductae naviculae substratis roboribus a terrena labe suspensae quiescebant, pueros vidimus certatim gestientes testarum in mare iaculationibus ludere. Is lusus est testam teretem iactatione fluctuum levigatam legere de litore, eam testam plano situ digitis comprehensam inclinem ipsum atque humilem quantum potest super undas irrotare, ut illud iaculum vel dorsum maris raderet ⟨vel enataret⟩, dum leni impetu labitur, vel summis fluctibus tonsis emicaret ⟨emergeret⟩, dum assiduo saltu sublevatur. Is se in pueris victorem ferebat, cuius testa et procurreret longius et frequentius exsiliret.

(1) Ethnici simulacra deorum oleo ungebant (cfr. AUGUST. *De Civit. Dei*, XVI, 28) et floribus coronabant (cfr. IUSTIN. *Apol.* I, 9, 24; CLEMENS ALEX. *Paedag.* II, 8; ARNOB. *Adv. gentes*, VII, 32; LACTANT. *Instit. divin.* II, 1; PLIN. *Nat. hist.* XVI, 4).

(2) Lindner adnotavit non esse distantiam Ostiae a Roma, neque medium spatium per Ostiam, sed spatium quod interiacet medium inter Ostiam civitatem et locum a deambulantibus petitum, id est mare. Davis *civitatis* delendum proponit; Heumann conicit *itineris*.

IV. Igitur cum omnes hac spectaculi voluptate caperemur, Caecilius nihil intendere neque de contentione ridere, sed tacens, anxius, segregatus dolere nescio quid vultu fatebatur. Cui ego: Quid hoc est rei? cur non agnosco, Caecili, alacritatem tuam illam? et illam oculorum etiam in seriis hilaritatem requiro. Tum ille: Iam dudum me Octavii nostri acriter angit et remordet oratio, qua in te invectus obiurgavit neglegentiae, ut me dissimulanter gravius argueret inscientiae. Itaque progrediar ulterius: de toto et integro mihi cum Octavio res est. Si placet, ut [istius] sectae homo (1) cum eo disputem, iam profecto intelleget facilius esse in contubernalibus disputare quam conserere sapientiam: modo in istis ad tutelam balnearum iactis et in altum procurrentibus petrarum obicibus residamus, ut et requiescere de itinere possimus et intentius disputare. Et cum dicto eius adsedimus, ita ut me ex tribus medium lateris ambitione protegerent: nec hoc obsequii fuit aut ordinis aut honoris, quippe cum amicitia pares semper aut accipiat aut faciat, sed ut arbiter et utrisque proximus aures darem et disceptantes duos medius segregarem.

V. Tum sic Caecilius exorsus est: Quamquam tibi, Marce frater, [id] de quo cum maxime quaerimus non sit ambiguum, utpote cum diligenter in utroque vivendi genere versatus repudiaris alterum, [alterum] comprobaris, (2) in praesentiarum tamen ita tibi informandus est animus, ut libram teneas aequissimi iudicis nec in alteram partem propensus incumbas, ne non tam ex nostris disputationibus nata sententia quam ex tuis sensibus prolata videatur. Proinde si mihi quasi novus aliqui et quasi ignarus partis utriusque considas, nullum negotium est patefacere, omnia in rebus humanis dubia, incerta,

(1) *Homo istius sectae* opponitur adversario ficto et quasi umbratili.

(2) Minucius antea ethnicismo fuerat addictus; nunc christianam religionem profitebatur.

suspensa magisque ⟨omnia⟩ verisimilia quam vera.[1] Quo minus mirum est nonnullos taedio investigandae penitus veritatis cuilibet opinioni temere succumbere quam in explorando pertinaci diligentia perseverare. Itaque indignandum omnibus, indolescendum est audere quosdam, et hoc studiorum rudes, litterarum profanos, expertes artium etiam sordidarum, certum aliquid de summa rerum ac maiestate [Dei] decernere, de qua tot omnibus saeculis sectarum plurimarum usque adhuc ipsa philosophia deliberat.[2] Nec immerito, cum tantum absit ab exploratione divina humana mediocritas, ut neque quae supra nos caelo suspensa sublata sunt, neque quae infra terram profunda demersa sunt, aut scire sit datum aut scrutari permissum aut [suspicari] religiosum, et beati satis satisque prudentes iure videamur, si secundum illud vetus sapientis oraculum nosmet ipsos familiarius noverimus.[3]

Sed quatenus indulgentes insano atque inepto labori ultra humilitatis nostrae terminos evagamur et in terram proiecti caelum ipsum et ipsa sidera audaci cupiditate transcendimus, vel hunc errorem saltem non vanis et formidulosis opinionibus implicemus. Sint principio omnium semina natura in se coeunte densata, quis hic auctor deus? sint fortuitis concursionibus totius mundi membra coalita, digesta, formata, quis deus machinator? sidera licet ignis accenderit et caelum licet sua materia suspenderit, licet terram [sua][4] fundaverit pondere et mare licet confluxerit e liquore, unde haec religio,

(1) Caecilius Academicorum partes gerit, ideoque scepticismum inde ab initio propugnat.

(2) Christianos prae oculis habet, eisque notissimam accusationem infert. Cfr. ORIG. *Contra Cels.* III, 9 sqq.; GREG. NAZ. *Or. III in Iulian.* ed. Billius p. 97. Quod ad philosophos spectat cfr. CICER. *De natur. deor.* I, 1 sqq.

(3) Alludit ad celeberrimum illud adagium: Γνῶθι σαυτόν, *Nosce teipsum,* quod ab aliis Thaleti, ab aliis Chiloni, ab aliis Pythiae tribuitur.

Inscriptum erat in fronte templi Delphici.

(4) Post *sua* subintelligitur *materia.* Additur ab Halm ex coniectura Vahlenii. Cfr. Praef. VII.

unde formido? quae superstitio est? Homo et animal omne quod nascitur, inspiratur, attollitur, elementorum [velut] voluntaria concretio est, in quae rursum homo et animal omne dividitur, solvitur, dissipatur: ita in fontem refluunt et in semet omnia revolvuntur, nullo artifice nec iudice nec auctore.(1) Sic congregatis ignium seminibus soles [videmus] alios atque alios semper splendere, sic exhalatis terrae vaporibus nebulas semper adolescere, quibus densatis coactisque nubes altius surgere, iisdem labentibus pluvias fluere, flare ventos, grandines increpare, vel nimbis collidentibus tonitrua mugire, rutilare fulgura, fulmina praemicare: adeo passim cadunt, montes irruunt, arboribus incurrunt, sine delectu tangunt loca sacra et profana, homines noxios feriunt et saepe religiosos.

Quid tempestates loquar varias et incertas, quibus nullo ordine vel examine rerum omnium impetus volutatur? in naufragiis bonorum malorumque fata mixta, merita confusa? in incendiis interitum convenire insontium nocentiumque? et cum tabe pestifera caeli tractus inficitur, sine discrimine omnes deperire? et cum belli ardore saevitur, meliores potius occumbere? in pace etiam non tantum aequatur nequitia melioribus, sed et colitur, ut in pluribus nescias, utrum sit eorum detestanda pravitas an optanda felicitas. Quod si mundus divina providentia et alicuius numinis auctoritate regeretur, nunquam mereretur Phalaris et Dionysius regnum, nunquam Rutilius et Camillus exsilium, nunquam Socrates venenum.(2)

(1) Parisinus habet: *ut voluntarii concretio*. Cum Halm *velut* posuimus, quo sensus illustratur.

(2) Phalaris et Dionysius tyranni crudelissimi exstiterunt, alter Agrigenti, alter Syracusis (cfr. VALER. MAX. *Memor.* I, 1; III, 3). Rutilius est Publius ille Rutilius Rufus, qui publicanorum, quorum latrocinia coercuerat, conspiratione depulsus est in exsilium (cfr. CICER. *Or. in Calpurn. Pison.* 40. VALER. MAX. *Memor.* II, 10; SENEC. *De provid.* 3). De Camillo non est ut repetamus notissimam causam, qua in exsilium, post tot beneficia in Urbem collata, missus est (cfr. LIV. *Hist.* V, 32; VALER. MAX. *Memor.* V, 3). Circa infelicem mortem Socratis denique

Ecce arbusta frugifera, ecce iam seges cana, iam temulenta vindemia imbri corrumpitur, grandine caeditur. Adeo aut incerta nobis veritas occultatur et premitur, aut, quod magis credendum est, variis et lubricis casibus soluta legibus fortuna dominatur.

VI. Cum igitur aut fortuna [caeca] aut incerta natura sit, quanto venerabilius ac melius antistitem veritatis maiorum excipere disciplinam, religiones traditas colere, deos, quos a parentibus ante imbutus es timere quam nosse familiarius, adorare [quam addubitare], nec de numinibus ferre sententiam, sed prioribus credere, qui adhuc rudi saeculo in ipsis mundi natalibus meruerunt deos vel faciles habere vel reges? (1) inde adeo per universa imperia, provincias, oppida videmus singulos sacrorum ritus gentiles habere et deos colere municipes, ut Eleusinios Cererem, Phrygas Matrem, Epidaurios Aesculapium, Chaldaeos Belum, Astarten Syros, Dianam Taurios, Gallos Mercurium, [numina] universa Romanos. (2)

Sic eorum potestas et auctoritas totius orbis ambitum occupavit, sic imperium suum ultra solis vias et ipsius Oceani limites propagavit, dum exercent in armis virtutem religiosam, dum Urbem muniunt sacrorum religionibus, castis virginibus, multis honoribus ac nominibus sacerdotum, dum obsessi et citra solum Capitolium capti colunt deos, quos alius iam sprevisset iratos, et per Gallorum acies mirantium superstitionis audaciam pergunt telis inermes, sed cultu reli-

cfr. Plato, *Phaedon seu de anima*, 66; Xenophont. *Memor.* I, 1 sqq.; Diog. Laërt. *Vita Socratis*, II, 42. Cfr. Cicer. *De natur. deorum*, III, 32 sqq.

(1) Ethnici inter deos retulerunt viros *faciles* seu beneficos (cfr. Virg. *Ecl.* III, 9) et reges.

(2) *Municipes deos* appellat Minucius illos, qui peculiari ritu in singulis civitatibus vel provinciis consecrati fuerant. De Romanis vero celeberrima sunt verba S. Leonis Magni (*Serm. I in natal. Ss. Apost. Petri et Pauli*): « Cum paene « omnibus dominaretur gentibus, « omnium gentium serviebat er« roribus, et magnam sibi videba« tur assumpsisse religionem, quia « nullam respuebat falsitatem ».

gionis armati,[1] dum captis hostilibus moenibus adhuc ferociente victoria numina victa venerantur, dum undique hospites deos quaerunt et suos faciunt, dum aras exstruunt interdum etiam ignotis numinibus ⟨et manibus⟩. Sic dum universarum gentium sacra suscipiunt, etiam regna meruerunt. Hinc perpetuus venerationis tenor mansit, quae longa aetate non infringitur, sed augetur: quippe antiquitas caerimoniis atque fanis tantum sanctitatis tribuere consuevit quantum adstruxerit vetustatis.

VII. Nec tamen temere (ausim enim interim et ipse concedere et sic melius errare)[2] maiores nostri aut observandis auguriis aut extis consulendis aut instituendis sacris aut delubris dedicandis operam navaverunt. Specta de libris memoriam:[3] iam eos deprehendes initiasse ritus omnium religionum, vel ut remuneraretur divina indulgentia, vel ut averteretur imminens ira aut iam tumens et saeviens placaretur. Testis mater Idaea, quae adventu suo et probavit matronae castitatem et Urbem metu hostili liberavit:[4] testes equestrium fratrum in lacu, sicut [se] osten-

(1) Cum Caecilius dicit Romanos veneratos fuisse deos, mirantibus Gallis, alludit ad Gallos Senones, qui capta Urbe, Capitolium obsidione cinxerunt, quod solum refugium devictis Romanis supererat. Cfr. Liv. *Hist.* V, 41; Valer. Max. *Memor.* I, 1.

(2) « Ait Caecilius sese melius « errare quam Octavium, si su« perstitiones probare videatur, « tam utiles et prosperas cultoribus « suis »; Rigault.

(3) Explicat Lindner: « Specta « memoriam de libris hauriendam »; sed Gronovius: « specta *librorum* « memoriam ».

(4) Alludit ad factum, quod Romani scriptores narrant. Cum lapideum simulacrum Idaeae (quo nomine Cybeles, deorum mater, designabatur, quia super Idam montem templum ei erat consecratum), ut Hannibal ex Italia pelleretur, Pessinunte Romam, quodam vate suadente ad ostia Tiberina esset delatum, navis, qua simulacrum advehebatur, immota permansit, neque ulla hominum vi removeri poterat. Tum Claudia Quintia, matrona dubiae famae, ut pudicitiam suam probaret, preces ad deam fudit, auxiliumque ad navem trahendam postu-

derant, statuae consecratae, qui anheli spumantibus equis atque fumantibus de Perse victoriam eadem die qua fecerant nuntiaverunt: (1) testis ludorum offensi Iovis de somnio plebei hominis iteratio;(2) ⟨et Deciorum devotio rata testis est⟩:(3) te-

lavit. Res pro votis cessit; nam solo cingulo, quo mulieres romanae utebantur, ipsa sola simulacrum cum ipsa navi, quo Romani volebant, deduxit. Cfr. Liv. *Histor.* XXIX, 10.

(1) *Equestres fratres* sunt Castor et Pollux, qui *Tyndaridae* (filii Ledae, quae erat uxor Tyndari, regis Lacedaemoniorum) et *Dioscuri* (filii Iovis, quia Pollux ex Iove natus erat) dicuntur; *equestres* vero ex ratione, qua se manifestarunt in auxilium Romanorum et qua postea fuerunt repraesentati. Ipsi enim Aulo Postumio, Romanorum dictatori, contra Latinos pugnanti ad Regillum subvenerunt, et victoriam populo in Foro narrarunt; deinde Romanos contra Persem, regem Macedoniae, duce L. Aemilio Paulo, ad Pidnam pugnantes adiuvarunt, eademque die victoriam P. Vatinio e praefectura Reatina Romam venienti noctu nuntiarunt. Ob praeclara illa beneficia templa et statuas meruerunt, quarum reliquiae nuperrime in lacu Iuturnae in Foro Romano detectae sunt.

(2) Ad huius loci illustrationem haec ex Cicerone referenda: « Cum « bello Latino ludi votivi maximi « primum fierent, civitas ad arma « repente est excitata. Itaque lu« dis intermissis, instaurativi con« stituti sunt. Qui antequam fie« rent, cumque iam populus con« sedisset, servus per circum cum « virgis caederetur, furcam ferens, « ductus est. Exin cuidam ru« stico Romano dormienti visus « est venire, qui diceret praesu« lem sibi non placuisse ludis, id« que ab eodem iussum esse eum « senatui nuntiare; illum non esse « ausum. Iterum esse idem iussum « et monitum, ne vim suam expe« riri vellet; ne tum quidem esse « ausum. Exin filium eius esse « mortuum; eandem in somniis « admonitionem fuisse tertiam. « Tum illum etiam debilem fa« ctum, rem ad amicos detulisse, « quorum de sententia lecticula in « curiam esse delatum, cumque « senatui somnium enarravisset, « pedibus suis salvum domum re« vertisse. Itaque somnio com« probato a senatu, ludos illos ite« rum instauratos memoriae pro« ditum est » (*De divin.* I, 26. Cfr. Liv. *Hist.* II, 36).

(3) Caecilius Decios cogitat patrem et filium (P. Decium Murem I et II) qui pro salute exercitus Romanorum cum diis infernalibus sese devovissent, armatos in medios hostes sese proiecerunt, prior in praelio ad Vesuvium cum Latinis, alter in praelio ad Sentinum tertio bello Samnitico.

stis et Curtius, qui equitis sui vel mole vel honore hiatum profundae voraginis coaequavit. [1]

Frequentius etiam quam volebamus deorum praesentiam contempta auspicia contestata sunt. Sic Allia nomen infaustum, [2] sic Claudii et Iunii non proelium in Poenos, sed ferale naufragium est, [3] et ut Trasymenus Romanorum sanguine et maior esset et decolor, sprevit auguria Flaminius, [4] et ut Parthos signa repeteremus, dirarum imprecationes Crassus et meruit et irrisit. [5] Omitto vetera quae multa sunt, et de deorum natalibus, donis, muneribus neglego carmina poetarum, praedicta etiam de oraculis fata transilio, ne vobis antiquitas nimium fabulosa videatur. Intende templis ac delubris deorum, quibus Romana civitas et protegitur et ornatur: magis sunt augusta numinibus incolis, praesentibus, inquilinis quam cultu, insignibus et muneribus opulenta. Inde adeo pleni et mixti deo vates futura praecerpunt, dant cautelam periculis,

(1) Cum repentinus hiatus terrae in medio Urbis Foro apparuisset, M. Curtius armatus, equo conscenso, in eum se proiecit, et statim iniectis frugibus *honoris* gratia hiatus repletus est. Cfr. LIV. *Hist.* VII, 6; VALER. MAX. *Memor.* V, 6.

(2) Ad Alliam exercitus Romanorum sub Sulpicio, tribuno militum, a Gallis, Brenno duce, devictus est, et post eam cladem capta Urbs.

(3) Ad rem CICERO: « Nihil nos « P. Claudii, bello punico primo, « temeritas movebit? qui etiam « per iocum deos irridens, cum « cavea liberati pulli non pascerentur, mergi eos in aquam ius« sit, ut biberent, quoniam esse « nollent. Qui risus, classe de« victa, multas ipsi lacrimas, ma« gnam populo Romano cladem « attulit. Quid? collega eius Iu« nius eodem bello nonne tempe« state classem amisit, cum auspi« ciis non paruisset? Itaque P. « Claudius a populo condemnatus « est; Iunius sibi necem ipse con« scivit » (*De natur. deor.* II, 3).

(4) De Flaminio cfr. LIV. *Hist.* XXI, 57, 63; XXII, 1 sqq.; POLYB. *Histor.* II, 21, 32 etc.; III, 75, 77, 78, 80; CICER. *De nat. deor.* II, 3; *De divin.* I, 35; II, 8, 31; VALER. MAX. *Memor.* I, 6; V, 4.

(5) Crassus a Parthis devictus est eique signa etiam adempta. Octavius Augustus ea recuperavit. Cfr. SUETON. *Aug.* 21; FLORUS, *De gestis Rom.* IV, 11.

morbis medelam, spem afflictis, opem miseris, solatium calamitatibus, laboribus levamentum. Etiam per quietem deos videmus, audimus, agnoscimus, quos impie per diem negamus, nolumus, peieramus.

VIII. Itaque cum omnium gentium de diis immortalibus, quamvis incerta sit vel ratio vel origo, maneat tamen firma consensio, neminem fero tanta audacia tamque irreligiosa nescio qua prudentia tumescentem, qui hanc religionem tam vetustam, [tam] utilem, tam salubrem dissolvere aut infirmare nitatur. Sit licet ille Theodorus Cyrenaeus, vel qui prior Diagoras Melius, cui *atheon* cognomen apposuit antiquitas, qui uterque nullos deos adseverando timorem omnem, quo humanitas regitur, venerationemque penitus sustulerunt: nunquam tamen in hac impietatis disciplina simulatae philosophiae nomine atque auctoritate pollebunt.

Cum Abderiten Protagoram Athenienses viri consulte potius quam profane de divinitate disputantem et expulerint suis finibus et in contione eius scripta deusserint, (1) quid homines (sustinebitis enim me impetum susceptae actionis liberius exserentem) homines, inquam, deploratae, illicitae ac desperatae factionis grassari in deos non ingemescendum est? qui de ultima faece collectis imperitioribus et mulieribus credulis sexus sui facilitate labentibus, plebem profanae coniurationis instituunt, quae nocturnis congregationibus et ieiuniis solemnibus et inhumanis cibis non sacro quodam, sed piaculo foederatur, (2) latebrosa et lucifuga natio, in publicum muta, in angulis garrula: templa ut busta despiciunt, (3) deos

(1) Cfr. Cic. *De nat. deor.* I, 25; Diogenes Laertius, *Vitae*, IX, 52.

(2) Procul dubio tempore Minucii ieiunia a christianis observabantur. Cfr. Tertull. *Ad uxorem*, II, 4. *Inhumanos cibos* Caecilius vocat esum carnis infantis, iuxta falsam ethnicorum opinionem.

(3) Cfr. Tertull. *De spectac.* 13. *Bustum* (a verbo *uro*) proprie est *locus* ubi mortuorum corpora comburi solebant; sed ab

despuunt, rident sacra, miserentur miseri [ipsi], si fas est, sacerdotum, honores et purpuras despiciunt, ipsi seminudi, proh mira stultitia et incredibilis audacia! Spernunt tormenta praesentia, dum incerta metuunt et futura, et dum mori post mortem timent, interim mori non timent: ita illis pavorem fallax spes solatio redivivo blanditur.(1)

IX. Ac iam, ut fecundius nequiora proveniunt, serpentibus in dies perditis moribus per universum orbem sacraria ista teterrima impiae coitionis adolescunt. Eruenda prorsus haec et exsecranda consensio. Occultis se notis et insignibus noscunt et amant mutuo paene antequam noverint: passim etiam inter eos velut quaedam libidinum religio miscetur, ac se promiscue appellant fratres et sorores, ut etiam non insolens stuprum intercessione sacri nominis fiat incestum. Ita eorum vana et demens superstitio sceleribus gloriatur. Nec de ipsis, nisi subsisteret veritas, maxime nefaria et honore praefanda sagax fama loqueretur. Audio eos turpissimae pecudis caput ⟨asini⟩ consecratum inepta nescio qua persuasione venerari: digna et nata religio talibus moribus!(2) Alii

auctoribus translatum est etiam ad *sepulcrum* significandum. Deorum templa a christianis despiciebantur tamquam defunctorum hominum sepulcra. Templa gentiles pleraque aedificaverunt, ubi sepulti erant, qui pro diis colebantur, et cadavera etiam excipiebant. Ammianus Marcellinus refert de Gregorio episcopo Alexandriae: «Reversus ex comitatu «principis, cum transiret per spe«ciosum Genii templum, multitu«dine stipatus ex more, flexis ad «aedem ipsam luminibus: Quam«diu, inquit, sepulcrum hoc sta«bit?»

(1) Sensus est: Mitigat timorem mortis et tormentorum praesentium spes illa fallax, fore ut aliquando reviviscant.

(2) Cfr. Tertull. *Apol.* 16; *Ad nation.* 11. Tertullianus a Tacito calumniam vulgatam asseruit. En narratio: «Sed nihil aeque «Iudaeos quam inopia aquae fa«tigabat. Iamque haud procul «exitio totis campis procubuerant, «cum grex asinorum agrestium «e pastu in rupem nemore opa«cam concessit. Secutus Moyses, «coniectura herbidi soli, largas «aquarum venas aperit... Effigiem «animalis quo monstrante erro-

eos ferunt ipsius antistitis ac sacerdotis colere genitalia et quasi parentis sui adorare naturam: nescio an falsa, certe occultis ac nocturnis sacris apposita suspicio! (1) et qui hominem summo supplicio pro facinore punitum et crucis ligna feralia eorum caerimonias fabulatur, congruentia perditis sceleratisque tribuit altaria, ut id colant quod merentur. (2)

Iam de initiandis tirunculis fabula tam detestanda quam nota est. Infans farre contectus, ut decipiat incautos, adponitur ei qui sacris imbuatur. Is infans a tirunculo farris superficie quasi ad innoxios ictus provocato caecis occultisque vulneribus occiditur. Huius, proh nefas! sitienter sanguinem lambunt, huius certatim membra dispertiunt, hac foederantur hostia, hac conscientia sceleris ad silentium mutuum pignerantur. Haec sacra sacrilegiis omnibus tetriora. Et de convivio notum est; passim omnes loquuntur, id etiam Cirtensis nostri testatur oratio. (3) Ad epulas solemni die coëunt cum omnibus (4) liberis, sororibus, matribus, sexus omnis homines et omnis aetatis. Illic post multas epulas, ubi convivium caluit

« rem sitimque depulerant, pene- « trali sacravère, caeso ariete, ve- « luti in contumeliam Hammònis » (*Hist.* V). Occasionem arguendi christianos suppeditasse videntur Iudaei et Gnostici. Cfr. Epiph. *Haer.* XXVI, 10.

(1) Videntur ethnici occasionem inurendi hanc foedissimam christianis calumniam ex eo derivasse, quod poenitentes ad pedes sacerdotum praesertim, ut criminum suorum veniam obtinerent, advolvebantur. Cfr. Tertull. *De poenit.* 6; *De pudicit.* 13; Eus. *Hist. Eccl.* IV, 7, ed. Lämmer, 11.

(2) Caecilius alludit ad cultum, quem christiani Iesu Christo et cruci etiam, cui affixus obiit, praestabant; attamen Iesum *pro facinore punitum* ex opinione ethnicorum dicit.

(3) M. Cornelius Fronto, Cirtae in Numidia natus, Marci Antonini imperatoris et Lucii Veri praeceptor, teste Eutropio (*Breviarium ab Urbe condita,* VII, 6), orator exstitit excellentissimus inter ceteros, qui eadem aetate floruerunt. Scripsit orationem contra christianos, in qua loquitur, teste Minucio nostro, de fabulosis criminibus, quae christiani in convivio celebrando committere ferebantur; sed documentum illud ad nos usque non pervenit.

(4) Gronovius legit: *coniugibus.*

et incestae libidinis [ebriatis] fervor exarsit, canis, qui candelabro nexus est, iactu offulae ultra spatium lineae, qua vinctus est, ad impetum et saltum provocatur. Sic everso et exstincto conscio lumine impudentibus tenebris nexus infandae cupiditatis involvunt per incertum sortis, etsi non omnes opera, conscientia tamen pariter incesti, quoniam voto universorum appetitur quicquid accidere potest in actu singulorum. (1)

X. Multa praetereo consulto: nam et haec nimis multa sunt, quae aut omnia aut pleraque ⟨omnium⟩ vera declarat ipsius pravae religionis obscuritas. Cur etenim occultare et abscondere quicquid illud colunt magnopere nituntur, cum honesta semper publico gaudeant, scelera secreta sint? cur nullas aras habent, templa nulla, nulla nota simulacra, numquam palam loqui, numquam libere congregari, nisi illud, quod colunt et interprimunt, aut puniendum est aut pudendum? unde autem vel quis ille aut ubi deus unicus, solita-

(1) De huiusmodi calumniis plures apologistae ut Iustinus, Athenagoras, Theophilus Antiochenus, etc. loquuntur. Cfr. TERTULLIAN. *Apolog.* 7-8; *Ad nation.* I, 15-16. Auctores calumniae, iuxta Origenem, fuerunt Iudaei; exinde gravissima christianis detrimenta obvenerunt; nam « falsa « et iniqua opinio dudum valde « multos a religione nostra alie- « nos tenuit, persuasos, quod tales « sint christiani; et ad hoc tem- « poris nonnullos fallit; quia ea « de causa christianos ita aversan- « tur, ut nec simplex colloquium « cum homine christiano habere « velint » (*Contr. Cels.* p. 292). Verum non defuit occasio quae accusationem verisimilem reddidit. Quaedam enim haereticorum sectae, ut Cataphrygae, Basilidiani, Carpocratiani revera crimina aliqua foedissima patrabant. Cfr. IREN. *Adv. haer.* I, 24; EUS. *Hist. Eccles.* IV, 7, ed. Lämmer. 11; EPIPH. *Haer.* XXVI, 5; XXVII, 3. Rem ipsam confirmarunt nonnulli ethnici, qui christianorum dominio ecclesiae Lugdunensis cum essent subiecti et simul cum christianis in asperrima illa perturbatione capti, metu tormentorum et daemonum instinctu et militibus incitantibus, « Thyesteas coenas et incestos « Oedipi concubitus et alia quae « nec proloqui nobis, nec cogitare « fas est ac ne credere quidem « sustinemus unquam gesta fuisse, « adversus nos ementiti sunt ». (Cfr. EUS. *Hist. Eccl.* V, 2).

rius, destitutus, quem non gens libera, non regna, non saltem romana superstitio noverunt? Iudaeorum sola et misera gentilitas unum et ipsi deum, sed palam, sed templis, aris, victimis caerimoniisque coluerunt, cuius adeo nulla vis nec potestas est, ut sit Romanis numinibus cum sua sibi natione captivus. At iam christiani quanta monstra, quae portenta confingunt! Deum illum suum, quem nec ostendere possunt nec videre, in omnium mores, actus omnium, verba denique et occultas cogitationes diligenter inquirere: discurrentem scilicet atque ubique praesentem molestum illum volunt, inquietum, impudenter etiam curiosum, siquidem adstat factis omnibus, locis omnibus intererrat, cum nec singulis inservire possit per universa districtus, nec universis sufficere in singulis occupatus.

XI. Quid? quod toto orbi et ipsi mundo cum sideribus suis minantur incendium, ruinam moliuntur, quasi aut naturae divinis legibus constitutus aeternus ordo turbetur, aut rupto elementorum omnium foedere et caelesti compage divisa, moles ista, qua continetur et cingitur, subruatur. Nec hac furiosa opinione contenti, aniles fabulas adstruunt et adnectunt: renasci se ferunt post mortem et cineres et favillas et nescio qua fiducia mendaciis suis invicem credunt: putes eos iam revixisse. Anceps malum et gemina dementia, caelo et astris, quae sic relinquimus, ut invenimus, interitum denuntiare; sibi mortuis [et] exstinctis, qui sicut nascimur et interimus, aeternitatem repromittere! Inde videlicet et exsecrantur rogos et damnant ignium sepulturas, quasi non omne corpus, etsi flammis subtrahatur, annis tamen et aetatibus in terram resolvatur, nec intersit, utrum ferae diripiant an maria consumant an humus contegat an flamma subducat, cum cadaveribus omnis sepultura, si sentiunt, poena sit, si non sentiunt, ipsa conficiendi celeritate medicina.[1] Hoc errore decepti,

(1) Mos erat Romanis, ut notum est, cadavera comburendi; christiani ab ea consuetudine abhorrentes humi condebant.

beatam sibi, ut bonis, et perpetem vitam mortuis pollicentur; ceteris ut iniustis poenam sempiternam.

Multa ad haec suppetunt, ni festinet oratio. Iniustos ipsos magis nec laboro, iam docui: (1) quamquam, etsi iustos darem, culpam tamen vel innocentiam fato tribui sententia est plurimorum, etiam vestra consensio est. Nam quicquid agimus, ut alii fato, ita vos Deo addicitis: sic sectae vestrae non spontaneos cupere, sed electos. Igitur iniquum iudicem fingitis qui sortem in hominibus puniat, non voluntatem. Vellem tamen sciscitari, utrumne cum corporibus [aut sine corporibus], et corporibus quibus, ipsisne an innovatis resurgatur? Sine corpore? hoc, quod sciam, neque mens neque anima nec vita est. Ipso corpore? sed iam ante dilapsum est. Alio corpore? ergo homo novus nascitur, non prior ille reparatur. Et tamen tanta aetas abiit, saecula innumera fluxerunt: quis unus ullus ab inferis vel Protesilai sorte remeavit, horarum saltem ** permisso commeatu (2) vel ut exemplo crederemus? Omnia ista figmenta male sanae opinionis et inepta solatia a poetis fallacibus in dulcedinem carminis

(1) Haec verba duplicem sensum pariunt, prout *magis* vel ad antecedentia vel ad consequentia refertur. *Iniustus magis* est *iniustior,* quae loquendi ratio vel ex lexicis satis est nota. Hinc sensus est: *Iniustiores ethnicis esse christianos non amplius demonstrabo.* Et haec explicatio optime convenit cum responsione Octavii c. XXXV: « Tamen si vobiscum christiani « comparemur,... multo vobis me- « liores deprehendemur ». Deinde *magis nec laboro* est *non amplius laboro,* scil. *docere iniustos ipsos esse.* Heumanno haec videtur vera esse auctoris scriptura: *Iniustos esse ipsos minimeque bonos, iam docui.* LINDNER.

(2) Protesilaus primus ex Graeciae principibus ab Hectore in Troiano bello interfectus dicitur. Laodamia illius uxor, statim atque eum mortuum fuisse cognovit, magnis precibus a diis impetravit ut per spatium trium horarum eius colloquio, postquam ad vitam esset excitatus, frui liceret. Cfr. PROPERT. *Eleg.* I, 19, 10; HYG. *Fab.* 103; CATULL. *Ep. 63 ad Manl.* OVID. *Ep.* 13. Hinc est quod Davis restituit: *horarum saltem trium,* collato Hygino; Broukhusius: *horarum saltem paucarum* iuxta Propertium.

lusa a vobis nimium credulis in Deum vestrum turpiter reformata sunt.

XII. Nec saltem de praesentibus capitis experimentum, quam vos irritae pollicitationis cassa vota decipiant: quid post mortem impendeat, miseri, dum adhuc vivitis, aestimate. Ecce pars vestrum, et maior, melior, ut dicitis, egetis, algetis, opere fame laboratis, et Deus patitur, dissimulat, non vult aut non potest opitulari suis: ita aut invalidus aut iniquus est. Tu, qui immortalitatem postumam somnias, cum periculo quateris, cum febribus ureris, cum dolore laceraris, nondum conditionem tuam sentis? nondum agnoscis fragilitatem? Invitus miser infirmitatis argueris, nec fateris. Sed omitto communia. Ecce vobis minae, supplicia, tormenta, et iam non adorandae sed subeundae cruces, ignes etiam quos et praedicitis et timetis: ubi Deus ille, qui subvenire reviviscentibus potest, viventibus non potest? nonne Romani sine vestro Deo imperant, regnant, fruuntur orbe toto vestrique dominantur?

Vos vero suspensi interim atque solliciti honestis voluptatibus abstinetis, non spectacula visitis, non pompis interestis, convivia publica absque vobis, sacra certamina, praecerptos cibos et delibatos altaribus potus abhorretis. Sic reformidatis deos quos negatis. Non floribus caput nectitis, non corpus odoribus honestatis: reservatis unguenta funeribus, coronas etiam sepulcris denegatis, pallidi, trepidi, misericordia digni, sed nostrorum deorum. Ita nec resurgitis miseri, nec interim vivitis. Proinde si quid sapientiae vobis aut verecundiae est, desinite caeli plagas et mundi fata et secreta rimari: satis est pro pedibus aspicere[1] maxime indoctis, impolitis, rudibus,

(1) *Pro pedibus = quae pro pedibus sunt.* Sic CICERO (*De divin.* II, 13): « Quod est ante pedes, « nemo spectat; caeli scrutantur « plagas ». Caecilius concedit christianis ut communia tantum investigent; sed vehementer improbat de divina natura inquisitionem. Hic conceptus saepissime recurrit, quia Caecilius tamquam princeps suae disputationis argumentum inde ab initio statuerat.

agrestibus, quibus non est datum intelligere civilia, multo magis denegatum est disserere divina.

XIII. Quamquam si philosophandi libido est, Socraten, sapientiae principem, quisque vestrum tantus est, si potuerit, imitetur. Eius viri, quotiens de caelestibus rogabatur, nota responsio est: « quod supra nos, nihil ad nos ». Merito ergo de oraculo testimonium meruit prudentiae singularis. Quod oraculum, idem ipse persensit, idcirco universis [se] esse praepositum, non quod omnia comperisset, sed quod nihil se scire didicisset: ita confessae imperitiae summa prudentia est. (1) Hoc fonte defluxit Arcesilae et multo post Carneadis [et Pyrronis] et Academicorum plurimorum in summis quaestionibus tuta dubitatio, quo genere philosophari et caute indocti possunt et docti gloriose. Quid, Simonidis melici nonne admiranda omnibus et sectanda cunctatio? qui ⟨Simonides⟩, cum de eo, quid et quales arbitraretur deos, ab Hierone tyranno quaereretur, primo deliberationi diem petiit, postridie biduum prorogavit, mox alterum tantum admonitus adiunxit. Postremo cum causas tantae morae tyrannus inquireret, respondit ille, quod sibi quanto inquisitio tardior pergeret, tanto veritas fieret obscurior. (2) Mea quoque opinione quae sunt dubia, ut sunt, relinquenda sunt, nec tot ac tantis viris deliberantibus

(1) De laude, quam oraculum Apollinis Socrati tribuit, plures scriptores veteres loquuntur, quamvis alii aliter rem enarrent. Laërtius responsum sic a Pythia prolatum testatur: Ἀνδρῶν ἁπάντων Σωκράτης σοφώτατος = Mortalium omnium Socrates sapientissimus (*Vit. Socrat.* II, 37). Adagium Socratis: *quod supra nos, nihil ad nos*, apud LACTANT. *De falsa sapient.* III, 20 et HIERONYMUM, *Apol. adv. Ruf.* II, occurrit.

(2) Cfr. CICER. *De natur. deor.* I, 22. Simonides a Cicerone *poeta suavis* appellatur; teste Suida, *Melicertus* propter suavitatem vocis; verior est sententia, quae eum *melicum* dicit, quia melicae poesis genus excoluit, ideoque distinguendus ab alio Simonide, qui Amorginus cognominatus, satyras scripsit. Simonides noster postquam per aulas plurimorum principum transiit, venit demum Syracusas apud Hieronem, cum quo dialogum a Minucio commemoratum habuit.

temere et audaciter in alteram partem ferenda sententia est, ne aut anilis inducatur superstitio aut omnis religio destruatur.

XIV. Sic Caecilius et renidens (nam indignationis eius tumorem effusae orationis impetus relaxaverat): Ecquid ad haec, ait, audet Octavius, homo Plautinae prosapiae,(1) ut christianorum praecipuus, ita postremus philosophorum?

Parce, inquam, in eum plaudere:(2) neque enim prius exsultare te dignum est concinnitate sermonis, quam utrimque plenius fuerit peroratum, maxime cum non laudi, sed veritati disceptatio vestra nitatur [annitatur]. Et quamquam magnum in modum me subtili varietate tua delectarit oratio, tamen altius moveor, non de praesenti actione, sed de toto genere disputandi, quod plerumque pro disserentium viribus et eloquentiae potestate etiam perspicuae veritatis condicio mutetur. Id accidere pernotum est auditorum facilitate, qui dum verborum lenocinio a rerum intentionibus avocantur, sine delectu assentiuntur dictis omnibus nec a rectis falsa secernunt, nescientes inesse et [in] incredibili verum et in verisimili mendacium. Itaque quo saepius adseverationibus credunt, eo frequentius a peritioribus arguuntur: sic assidue temeritate decepti culpam

(1) Phrasis usitata apud antiquos. Sic HIERONYMUS: « Inven-« tae sunt Plautinae familiae » (Ep. XXVII); et « Plautinae fa-« miliae columen » (Ep. XLVII). Refertur ad Octavium et *causidicum* significat. Schanz, qui *Octavium* a Minucio compositum arbitratus est, ut refutaret opus M. Cornelii Frontonis contra christianos, ad eum verba « homo « Plautinae prosapiae » transfert et τὸ *Octavius* interpolatum censet; sed tam subtilis est illa interpretatio, ut merito reiciatur. Cfr. C. WEYMAN, *Beilage zum Allgemein. Zeit.* 1895, p. 120; F. X. FUNK, *Theolog. Quartalschrift*, LXXVIII (1896), 349 sq.; TH. ZIELINSKY, *Cicero im Wandel der Jahrhunderte*, Leipzig, 1897, p. 71 sqq.; E. WORDEN, *De Minucii Felicis aetate et genere dicendi* in *Wiss. Beil. zum Vorlesungsverzeichnis der Univers. Greifswald*, 1897, p. 1 sqq.; EHRHARD, *Die altchristl. Litteratur und ihre Erforschung von 1884-1900*, Freiburg, 1900, p. 287 sq.

(2) Sunt verba Minucii, qui Caecilium praepropere exsultantem corripit.

iudicii sui transferunt ad incerti querelam, ut damnatis omnibus malint universa suspendere quam de fallacibus iudicare. Igitur nobis providendum est, ne odio identidem sermonum omnium laboremus ita, ut in exsecrationem et odium hominum plerique simpliciores efferantur. Nam incaute creduli circumveniuntur ab iis quos bonos putaverunt: mox errore consimili iam suspectis omnibus ut improbos metuunt etiam quos optimos sentire potuerunt. Nos proinde solliciti, quod utrimque omni [in] negotio disseratur et ex altera parte plerumque obscura sit veritas, ex altero latere mira subtilitas, quae nonnunquam ubertate dicendi fidem confessae probationis imitetur, diligenter quantum potest singula ponderemus, ut argutias quidem laudare, ea vero quae recta sunt, eligere, probare, suscipere possimus.

XV. Decedis, inquit Caecilius, officio iudicis religiosi: nam periniurium est vires te actionis meae intergressu gravissimae disputationis infringere, cum Octavius integra et illibata debeat singula, si potest, refutare. Id quod criminaris, inquam, in commune, nisi fallor, compendium protuli, ut examine scrupuloso nostram sententiam non eloquentiae tumore, sed rerum ipsarum soliditate libremus, nec avocanda, quod quereris, diutius intentio, cum toto silentio liceat responsionem Ianuarii nostri iam gestientis audire.

XVI. Et Octavius: Dicam equidem, ut potero ⟨pro viribus⟩, et adnitendum tibi mecum est, ut conviciorum amarissimam labem verborum veracium flumine diluamus. Nec dissimulabo principio ita Natalis mei errantem, vagam, lubricam nutasse sententiam, ut sit nobis ambigendum, utrum [versutia] turbata sit, an vacillaverit per errorem. Nam interim deos credere, interim se deliberare variavit, ut propositionis incerto incertior responsionis nostrae intentio fundaretur. Sed in Natali meo versutiam nolo, non credo: procul est ab eius simplicitate subtilis urbanitas. Quid igitur? ut qui rectam viam nescit, ubi, ut fit, in plures una diffinditur,

⟨quia viam nescit⟩ haeret anxius nec singulas audet eligere nec universas probare: sic cui non est veri stabile iudicium, prout infida suspicio spargitur, ita eius dubia opinio dissipatur. Nullum itaque miraculum est, si Caecilius identidem in contrariis ac repugnantibus iactetur, aestuet, fluctuetur. Quod ne fiat ulterius, convincam et redarguam. Quamvis sint diversa quae dicta sunt, una veritate confirmata probataque, nec dubitandum ei de cetero est nec vagandum.

Et quoniam meus frater erupit, aegre se ferre, stomachari, indignari, dolere, illiteratos, pauperes, imperitos de rebus caelestibus disputare, sciat omnes homines sine delectu aetatis, sexus, dignitatis, rationis et sensus capaces et habiles procreatos nec fortuna nactos, sed natura insitos esse sapientiam:(1) quin ipsos etiam philosophos, vel si qui alii artium repertores in memorias exierunt, priusquam solertia mentis parerent nominis claritatem, habitos esse plebeios, indoctos, seminudos: adeo divites facultatibus suis illigatos magis aurum suspicere consuesse quam caelum, nostrates pauperes et commentos esse prudentiam et tradidisse ceteris disciplinam. Unde apparet ingenium non dari facultatibus nec studio parari, sed cum ipsa mentis formatione generari. Nihil itaque indignandum vel dolendum, si quicumque de divinis quaerat, [quae] sentiat proferat, cum non disputantis auctoritas, sed disputationis ipsius veritas requiratur. Atque etiam, quo imperitior sermo, hoc illustrior ratio est, quoniam non fucatur pompa facundiae et gratiae, sed, ut est, recti regula sustinetur.

XVII. Nec recuso, quod Caecilius asserere inter praecipua connixus est, hominem nosse se et circumspicere debere, quid sit, unde sit, quare sit: utrum elementis concretus an concinnatus atomis, an potius a Deo factus, formatus, animatus. Quod ipsum explorare et eruere sine universitatis in-

(1) Cfr. Cic. *De natur. deor.* II, 5.

quisitione non possumus, cum ita cohaerentia, connexa, concatenata sint, ut nisi divinitatis rationem diligenter excusseris, nescias humanitatis, nec possis pulchre gerere rem civilem, nisi cognoveris hanc communem omnium mundi civitatem, praecipue cum a feris belluis hoc differamus, quod illa prona in terramque vergentia nihil nata sunt prospicere nisi pabulum. Nos, quibus vultus erectus, quibus suspectus in caelum datus est, sermo et ratio, per quae Deum agnoscimus, sentimus, imitamur, ignorare nec fas nec licet ingerentem sese oculis et sensibus nostris caelestem claritatem: sacrilegii enim vel maximi instar est, humi quaerere quod in sublimi debeas invenire.

Quo magis mihi videntur qui hunc mundi totius ornatum non divina ratione perfectum volunt, sed frustis quibusdam temere cohaerentibus conglobatum, mentem, sensum, oculos denique ipsos non habere. Quid enim potest esse tam apertum, tam confessum tamque perspicuum, cum oculos in caelum sustuleris et quae sunt infra circaque lustraveris, quam esse aliquod numen praestantissimae mentis, quo omnis natura inspiretur, moveatur, alatur, gubernetur? Caelum ipsum vide, quam late tenditur, quam rapide volvitur, vel quod in noctem astris distinguitur, vel quod in diem sole lustratur: iam scies, quam sit in eo summi moderatoris mira et divina libratio. Vide et annum, ut solis ambitus faciat, et mensem vide, ut luna auctu, senio, labore circumagat. Quid tenebrarum et luminis dicam recursantes vices, ut sit nobis operis et quietis alterna reparatio? Relinquenda vero astrologis prolixior de sideribus oratio, vel quod regant cursum navigandi, vel quod arandi metendique tempus indicant, quae singula non modo ut crearentur, fierent, disponerentur, summi opificis et perfectae rationis eguerunt, verum etiam sentiri, perspici, intellegi sine summa solertia et ratione non possunt.

Quid, cum ordo temporum ac frugum stabili varietate distinguitur, nonne auctorem suum parentemque testatur ver

aeque cum suis floribus et aestas cum suis messibus et autumni maturitas grata et hiberna olivitas [1] necessaria? Qui ordo facile turbaretur, nisi maxima ratione consisteret. Iam providentiae quantae, ne hiems sola glacie ureret aut sola aestas ardore torreret, autumni et veris inserere medium temperamentum, ut per vestigia sua anni revertentis occulti et innoxii transitus laberentur. Mari intende, lege litoris stringitur: quicquid arborum est vide, ⟨quam⟩ e terrae visceribus animatur: aspice oceanum, refluit reciprocis aestibus: vide fontes, manant venis perennibus: fluvios intuere, eunt semper exercitis lapsibus. Quid loquar apte disposita recta montium, collium flexa, porrecta camporum? quidve animantium loquar adversus sese tutelam multiformem? alias armatas cornibus, alias dentibus saeptas et fundatas ungulis et spicatas aculeis aut pedum celeritate liberas aut elatione pinnarum? Ipsa praecipue formae nostrae pulchritudo Deum fatetur artificem: status rigidus, vultus erectus, oculi in summo velut in specula constituti et omnes ceteri sensus velut in arce compositi.

XVIII. Longum est ire per singula. Nihil in homine membrorum est, quod non et necessitatis causa sit et decoris, et quod magis mirum est, eadem figura omnibus, sed quaedam unicuique lineamenta deflexa: sic et similes universi videmur et inter se singuli dissimiles invenimur. Quid nascendi ratio? quid cupido generandi? nonne a Deo data est, et ut ubera partu maturescente lactescant et ut tener fetus ubertate lactei roris adolescat? Nec universitati solummodo Deus, sed et partibus consulit. Britannia sole deficitur, sed circumfluentis maris tepore recreatur: Aegypti siccitatem temperat Nilus amnis, Euphrates Mesopotamiam pro imbri-

(1) *Hiberna olivitas* pro ipsa hieme a Minucio ponitur, sicut *messis* apud poetas pro aestate. Olivae enim decembri mense maturescunt, teste COLUMELLA, *De re rustica,* XII, 50.

bus pensat, Indus flumen et serere Orientem dicitur et rigare. Quod si ingressus aliquam domum omnia exculta, disposita, ornata vidisses, utique praeesse ei crederes dominum et illis bonis rebus multo esse meliorem. Ita in hac mundi domo cum caelum terramque perspicias * * providentiam, ordinem, legem, crede esse universitatis dominum parentemque ipsis sideribus et totius mundi partibus pulchriorem: ni forte, quoniam de providentia nulla dubitatio est, inquirendum putas, utrum unius imperio an arbitrio plurimorum caeleste regnum gubernetur; quod ipsum non est multi laboris aperire cogitanti imperia terrena, quibus exempla utique de caelo.

Quando unquam regni societas aut cum fide coepit aut sine cruore desiit? Omitto Persas de equorum hinnitu augurantes principatum, et Thebanorum [fratrum intermortuam] fabulam, transeo.(1) Ob pastorum et casae regnum de geminis memoria notissima est.(2) Generi et soceri bella toto orbe diffusa sunt, et tam magni imperii duos fortuna non cepit.(3) Vide cetera: rex unus apibus, dux unus in gregibus, in armentis rector unus. Tu in caelo summam maiestatem dividi credas et scindi veri illius ac divini imperii totam potestatem, cum palam sit parentem omnium Deum nec principium habere nec terminum, qui nativitatem omnibus praestet, sibi perpetuitatem, qui ante mundum fuerit sibi ipse pro mundo: qui universa, quaecumque sunt, verbo iubet, ratione dispensat, virtute consummat. Hic non videri potest, visu clarior est,

(1) Codex habet: *Thebanorum permortuam fabulam*; sed Vahlenius ex codice Veronensi Cypriani: *Thebanorum fratrum intermortuam fabulam.* Loquitur Octavius de legenda thebana Eteoclis et Polynicis, qui Oedipo succedentes, convenerant ut vicissim per annum regnum singuli moderarentur. Sed Eteocles, qui prior supremam potestatem obtinuit, eam cedere noluit; hinc exortum est bellum, in quo ambo perierunt.

(2) Alludit ad Romulum et Remum, ex quibus ultima Romanorum origo.

(3) Pompeius Iuliam, Caesaris filiam, uxorem duxerat; hinc gener Caesaris evasit, cum quo bellum celeberrimum gessit.

nec comprehendi ⟨potest⟩, [tactu purior est], nec aestimari, sensibus maior est, infinitus, immensus et soli sibi tantus, quantus est, notus: nobis vero ad intellectum pectus angustum est, et ideo sic eum digne aestimamus, dum inaestimabilem dicimus.(1) Eloquar quemadmodum sentio: magnitudinem Dei qui se putat nosse, minuit: qui non vult minuere, non novit.

Nec nomen Deo quaeras, Deus nomen est. Illic vocabulis opus est, cum per singulos propriis appellationum insignibus multitudo dirimenda est: Deo, qui solus est, Dei vocabulum totum est. Quem si patrem dixero, carnalem opineris, si regem, terrenum suspiceris, si dominum, intellegis utique mortalem. Aufer additamenta nominum et perspicies eius claritatem. Quid quod omnium de isto habeo consensum? Audio vulgus: cum ad caelum manus tendunt, nihil aliud quam « Deum » dicunt et « Deus magnus est » et « Deus verus est » et « si Deus dederit ». Vulgi iste naturalis sermo est an christiani confitentis oratio?(2) Et qui Iovem principem volunt, falluntur in nomine, sed de una potestate consentiunt.

XIX. Audio poetas quoque unum patrem divum atque hominum praedicantes, et talem esse mortalium mentem qualem parens omnium diem induxerit.(3) Quid Mantuanus Maro? nonne apertius, proximius, verius « principio ait cae-« lum ac terras » et cetera mundi membra « spiritus intus « alit » et infusa mens agitat, « inde hominum pecudumque « genus » et quicquid aliud animalium? Idem alio loco

(1) Cfr. TERTULL. *Apolog.* 17; CYPRIAN. *De idolor. vanit.* 9.

(2) Cfr. TERTULL. *Apolog.* 17; *De testimonio animae,* 2; *De resurrectione carnis,* 3; CYPRIAN. *De idolor. vanit.* 9.

(3) Cfr. CICER. *De natur. deor.* II, 2. ENNIUS ait: « Patrem di-« vumque hominumque ». HOMER. *Odyss.* XVIII, 136:

Οἷον ἐπ' ἦμαρ ἄγῃσι πατὴρ
[ἀνδρῶντε θεῶντε.

Qualem in diem induxerit pater homi-
[numque divumque.

mentem istam et spiritum deum nominat. Haec enim verba sunt:

deum namque ire per omnes
terrasque tractusque maris caelumque profundum,
unde homines et pecudes, unde imber et ignes.(1)

quid aliud et a nobis Deus quam mens et ratio et spiritus praedicatur?

Recenseamus, si placet, disciplinam philosophorum: deprehendes eos, etsi sermonibus variis, ipsis tamen rebus in hanc unam coire et conspirare sententiam. Omitto illos rudes et veteres, qui de suis dictis sapientes esse meruerunt. Sit Thales Milesius omnium primus, qui ⟨primus omnium⟩ de caelestibus disputavit. Is autem Milesius Thales rerum initium aquam dixit, deum autem eam mentem quae ex aqua cuncta formaverit: ⟨eo altior et sublimior aquae et spiritus ratio, quam ut ab homine potuerit inveniri, a deo traditum⟩: vides philosophi principalis nobiscum penitus opinionem consonare. Anaximenes deinceps et post Apolloniates Diogenes aëra deum statuunt infinitum et inmensum: horum quoque similis de divinitate consensio est. Anaxagorae vero descriptio et motus infinitae mentis deus dicitur, et Pythagorae deus est animus per universam rerum naturam commeans et intentus, ex quo etiam animalium omnium vita capiatur. Xenophanen notum est omne infinitum cum mente deum tradere, et Antisthenen populares deos multos, sed naturalem unum praecipuum, Speusippum vim ⟨naturalem⟩ animalem, qua omnia regantur, deum nosse. Quid? Democritus, quamvis atomorum primus inventor, nonne plerumque naturam quae imagines fundat et intelligentiam deum loquitur? Straton quoque it ipse naturam? Etiam Epicurus ille, qui deos aut otiosos fingit aut nullos, naturam tamen superponit. Ari-

(1) Cfr. *Aeneid.* VI, 724; *Georg.* IV, 221. Varias sententias philosophorum recenset CICERO *De nat. deor.* I, 10 sqq.

stoteles variat et adsignat tamen unam potestatem: nam interim mentem, mundum interim deum dicit, interim mundo deum praeficit. Heraclides [Ponticus] quoque deo divinam mentem quamvis varie adscribit. Theophrastus [etiam variat, alias mundo, alias menti divinae tribuens principatum]. Zenon et Chrysippus et Cleanthes sunt et ipsi multiformes, sed ad unitatem providentiae omnes revolvuntur. Cleanthes enim mentem [modo], modo animum, modo aethera, plerumque rationem deum [disserit]. Zenon, eiusdem magister, naturalem legem atque divinam et aethera interim interdumque rationem vult omnium esse principium; idem interpretando Iunonem aëra, Iovem caelum, Neptunum mare, ignem esse Vulcanum et ceteros similiter vulgi deos elementa esse monstrando publicum arguit graviter et revincit errorem. Eadem fere Chrysippus: vim divinam, rationalem naturam et mundum interim et fatalem necessitatem deum credit Zenonemque interpretatione physiologica in Hesiodi, Homeri Orpheique carminibus imitatur. Babylonio etiam Diogeni disciplina est exponendi et disserendi, Iovis partum et ortum Minervae et hoc genus cetera rerum vocabula esse, non deorum. Nam Socraticus Xenophon formam dei veri negat videri posse et ideo quaeri non oportere, Ariston Stoicus comprehendi omnino non posse: uterque maiestatem Dei intelligendi desperatione senserunt. Platoni apertior de deo et rebus ipsis et nominibus oratio est et quae tota esset caelestis, nisi persuasionis civilis nonnunquam admixtione sordesceret. Platoni itaque in *Timaeo* deus est ipso suo nomine mundi parens, artifex animae, caelestium terrenorumque fabricator, quem et invenire difficile prae nimia et incredibili potestate, et cum inveneris, in publicum dicere impossibile praefatur. Eadem fere sunt ista, quae nostra sunt: nam et Deum novimus et parentem omnium dicimus et nunquam publice nisi interrogati praedicamus.

XX. Exposui opiniones omnium ferme philosophorum, quibus illustrior gloria est, Deum unum multis licet desi-

gnasse nominibus, ut quivis arbitretur, aut nunc christianos philosophos esse aut philosophos fuisse iam tunc christianos. Quod si providentia mundus regitur et unius Dei nutu gubernatur, non nos debet antiquitas imperitorum fabellis suis ⟨delectata vel capta⟩ ad errorem mutui rapere consensus, cum philosophorum suorum sententiis refellatur, quibus et rationis et vetustatis assistit auctoritas. Maioribus enim nostris tam facilis in mendaciis fides fuit, ut temere crediderint etiam talia monstruosa miracula: Scyllam multiplicem,(1) Chimaeram multiformem(2) et Hydram felicibus vulneribus renascentem(3) et Centauros equos suis hominibus implexos,(4) et quicquid famae licet fingere, illis erat libenter audire. Quid illas aniles fabulas, de hominibus aves et feras, [immo] et de hominibus arbores atque flores? quae si essent facta, fierent: quia fieri non possunt, ideo nec facta sunt. Similiter ⟨ac⟩ vero erga deos quoque maiores nostri improvidi, creduli rudi simplicitate crediderunt: dum reges suos colunt religiose, dum defunctos eos desiderant in imaginibus videre, dum gestiunt eorum memorias in statuis detinere, sacra facta sunt quae fuerant assumpta solatia. Denique et antequam commerciis orbis pateret et antequam gentes ritus suos moresque miscerent, unaquaeque natio conditorem suum aut ducem inclytum aut reginam pudicam sexu suo fortiorem aut alicuius muneris vel artis repertorem venerabatur ut civem bonae memoriae: sic et defunctis praemium et futuris dabatur exemplum.

XXI. Lege historicorum scripta vel scripta sapientium:

(1) Iuxta legendam Scylla septem capita canina habebat; hinc *multiplex* dicitur.

(2) Chimaera monstrum erat habens caput leonis, corpus caprae, caudam serpentis; propterea *multiformis* appellatur.

(3) Semper iuxta legendam, Hydrae septem capita erant, quae licet abscissa, continuo renascebantur. Ob hanc rationem Octavius *felicia vulnera* vocat.

(4) Centauri, in Thessalia degentes, monstra erant quorum corpora partim humanam, partim equinam formam praeseferebant. Idcirco Octavius *equos implexos suis hominibus* eos tradit.

eadem mecum recognosces. Ob merita virtutis aut muneris deos habitos Euhemerus exsequitur, et eorum natales, patrias, sepulcra dinumerat et per provincias monstrat, Dictaei Iovis et Apollinis Delphici et Phariae Isidis et Cereris Eleusiniae. (1) Prodicus assumptos in deos loquitur, qui errando inventis novis frugibus utilitati hominum profuerunt. (2) In eandem sententiam et Persaeus philosophatur et adnectit inventas fruges et frugum ipsarum repertores isdem nominibus, ut comicus sermo est, Venerem sine Libero et Cerere frigere.(3) Alexander ille magnus Macedo insigni volumine ad matrem suam scripsit, metu suae potestatis proditum sibi de diis hominibus a sacerdote secretum: illic Vulcanum facit omnium principem, et postea Iovis gentem.(4) Saturnum enim princi-

(1) Sic CICERO: « Quid? qui « aut fortes aut claros aut poten- « tes viros tradunt post mortem « ad deos pervenisse, eosque esse « ipsos, quos nos colere, precari « venerarique soleamus, nonne « expertes sunt religionum om- « nium? quae ratio maxime tra- « ctata ab Euhemero est, quem « noster et interpretatus et secu- « tus est praeter ceteros Ennius » (*De natur. deor* I. 42).

(2) « Quid? Prodicus Cius, « qui ea quae prodessent homi- « num vitae, deorum in numero « habita esse dixit, quam tandem « religionem reliquit? » (CICERO, *De natur. deor.* I, 42).

(3) Cfr. CICER. *De natur. deor.* I, 15. Comicus est TERENTIUS (*Eunuch.* IV, 5):

Verbum, hercle, hoc verum est:
Sine Libero et Cerere friget Venus.

Addit LE NOURRY (*Dissert. in M. Min. Felic.* c. XVI, 1): « At « ibi illud ab alio adhuc desum- « ptum esse significat. A quo « autem, nisi ab Euripide, cuius « est hoc graecum carmen?

Νεκρὸν Ἀφροδίτη Διονύσου δίχα,
[καὶ Δήμητρος.

Mortua est Venus sine Bacco et Cerere.

Nomen Bacchi vino, Cereris pani tribuebatur ab ethnicis.

(4) Cfr. ATHENAG. *Legat. pro Christ.* 24; CYPR. *De idol. vanit.* 3; AUGUST. *De Civit. Dei*, VIII, 3, 5, 27; XII, 10; *De consensu Evangel.* I, 3; PLUTARCH. *Alexander Magnus.* Res diversimode narratur; iuxta Minucium et Cyprianum Alexander *volumen*; iuxta Athenagoram, Augustinum, Plutarchum *epistolam* ad matrem scripsit; Minucius, Cyprianus, Athenagoras, Augustinus, *sacerdotem* dicunt revelasse mysteria; quin immo Augustinus *Leonem* appellat; Plutarchus vero *philosophum* fuisse

pem huius generis et examinis omnes scriptores vetustatis Graeci Romanique hominem prodiderunt. Scit hoc Nepos et Cassius in historia, ⟨et⟩ Thallus ac Diodorus hoc loquuntur. Is itaque Saturnus Creta profugus Italiam metu filii saevientis accesserat, et Iani susceptus hospitio rudes illos homines et agrestes multa docuit ut Graeculus et politus, litteras imprimere, nummos signare, instrumenta conficere. Itaque latebram suam, quod tuto latuisset, vocari maluit Latium, et urbem Saturniam idem de suo nomine et Ianiculum Ianus ad memoriam uterque posteritatis reliquerunt.(1) Homo igitur utique qui fugit, homo utique qui latuit, et pater hominis et natus ex homine: Terrae enim vel Caeli filius, quod apud Italos esset ignotis parentibus proditus, ut in hodiernum inopinato visos caelo missos, ignobiles et ignotos terrae filios nominamus. Eius filius Iuppiter Cretae excluso parente regnavit, illic obiit, illic filios habuit: adhuc antrum Iovis visitur et sepulcrum eius ostenditur, et ipsis sacris suis humanitatis arguitur.

Otiosum est ire per singulos et totam seriem generis istius explicare, cum in primis parentibus probata mortalitas in ceteros ipso ordine successionis influxerit, nisi forte post mortem deos fingitis, et perierante Proculo deus Romulus, et Iuba Mauris volentibus deus est,(2) et divi ceteri reges, qui con-

asserit, nomine *Psammonem*. Critici spuriam iudicant epistolam Alexandri ad matrem, ut post Rigaltium et Cellarium, contendit Sablonsky (*Pantheon Aegypt* Proleg. pp. 15, 16), quamvis nonnulli, ut Fell, Davis, Le Nourry, genuinam putent. Huic Alexandro Magno Alexandrum Πολυίστορα, qui scripsit opus *Αἰγυπτιακά* substituendum esse Rigaltius et Cellarius docent.

(1) Cfr. Cypr. *De idol. vanit.* 2.

(2) Cum iuxta legendam Romulus in campo Martio ad paludem Capream, exorto turbine, periisset, Iunius Proculus narravit sibi Alba redeunti Romulum apparuisse dicentem, se velle ut in posterum sub nomine Quirini a populo coleretur. Iuba, rex Mauritaniae, devictus a Caesare in praelio ad Thapsum, violentas manus sibi intulit et a Mauris, iuxta consuetu-

secrantur non ad fidem numinis, sed ad honorem emeritae potestatis. Invitis his denique hoc nomen adscribitur: optant in homine perseverare, fieri se deos metuunt, etsi iam senes nolunt. Ergo nec de mortuis dii, quoniam deus mori non potest, nec de natis, quoniam moritur omne quod nascitur: divinum autem id est, quod nec ortum habet nec occasum. Cur enim, si nati sunt, non hodie quoque nascuntur? Nisi forte iam Iuppiter senuit et partus in Iunone defecit et Minerva canuit antequam peperit. An ideo cessavit ista generatio, quoniam nulla huiusmodi fabulis praebetur assensio? Ceterum si dii creare possent, interire non possent, plures totis hominibus deos haberemus, ut iam eos nec caelum contineret nec aër caperet nec terra gestaret. Unde manifestum est homines illos fuisse, quos et natos legimus et mortuos scimus. Et despicis Isidis ad hirundinem, sistrum, et ad sparsis membris inanem tui Serapidis sive Osiris tumulum.(1)

dinem, inter deos relatus est. Cfr. TERTULL. *Apolog.* 10 sqq. 21; CYPR. *De idol. vanit.* 2, 4.

(1) Haec sectio: *Et despicis – cum sit veritas obvia, sed requirentibus* (XXIII) sive in codice Parisino sive in editionibus legitur post verba: *illic Vulcanum facit omnium principem, et postea Iovis gentem* (XXI); sed alius ordo tenendus est, quem primus indicavit Lindner, et in sua editione sequitur Halm. Quod ad sensum: *despicis Isidis ad hirundinem, sistrum, et ad sparsis membris inanem tui Serapidis sive Osiris tumulum*, res est explicatu difficillima. Halm notat: « Verba partim corrupta ex alio « loco huc invecta esse primus in- « tellexit Vahlen, qui ea post verba « *haec tamen Aegyptia quondam* « *nunc et Romana sacra sunt* trans- « ponenda et sic corrigenda cen- « set: *et desipias Isidis ad hirun-* « *dinem* etc. h. e. *et licet tibi iam* « *desipere* (cfr. XXIV, *in ista de-* « *sipere*) *ad Isidis hirundinem, si-* « *strum, sive ad ea quae ad Isidis* « *cultum pertinent* ». Ex Mythologia Isis conversa est in hirundinem, et sistrum instrumentum erat ei consecratum; quapropter in ipsa dea repraesentanda utrumque exprimebatur. Osiris et Serapis idem sunt; Octavius de *sparsis membris* loquitur, quia Typho frater, postquam illum necavit, corpus in viginti sex partes divisit, et sociis parricidii tradidit. Cum vero Isis eas invenisset, in fabricata hominis effigie inclusit, et Aegypti sacerdotibus convocatis, unam-

XXII. Considera denique sacra ipsa et ipsa mysteria: invenies exitus tristes, fata et funera et luctus atque planctus miserorum deorum. Isis perditum filium cum Cynocephalo suo et calvis sacerdotibus luget, plangit, inquirit, et Isiaci miseri caedunt pectora et dolorem infelicissimae matris imitantur: mox invento parvulo gaudet Isis, exsultant sacerdotes, Cynocephalus inventor gloriatur, nec desinunt annis omnibus vel perdere quod inveniunt vel invenire quod perdunt.(1) Nonne

quamque partem tributim divisit, quam suo quisque loco sepeliret. Exinde factum est, ut quaelibet Aegypti tribus Osiridis tumulum se possidere existimaret. Iuxta alios vero Isis simulavit tantum se dare cadaver Osiridis, sed singula tantum singulis urbibus dedit simulacra. Quaelibet traditio mythologica assumatur, verum est quod dicit Octavius de *inani* seu *vacuo sepulcro Osiridis vel Serapidis.* Animadverte *Serapidem tuum* appellari, tum quia Caecilius ethnicus erat, tum quia ante disputationem simulacrum Serapidis osculaverat.

(1) *Filius perditus et quaesitus* ab Iside est Osiris iuxta Minucium et LACTANTIUM (*Instit. divin.* I, 21), sed Orus iuxta DIODORUM SICULUM (*Biblioth.* I), HERODOTUM (*Hist.* II, 144), PLUTARCHUM (*De Iside et Osiride*), qui Osiridem coniugem Isidis faciunt. *Cynocephalus* est Anubi numen cuius figura publice circumferebatur. Quod ad integrum ritum mysteriorum Isidis, haec praestat referre ex LACTANTIO (op. c. l. c.): «Isidis Aegyptia «sacra sunt, quatenus filium par«vulum vel perdiderit, vel inve«nerit. Nam primo sacerdotes «deglabrato corpore, sua pectora «tundunt, lamentantur, sicut ipsa, «cum perdidit, fecerat. Deinde «puer producitur quasi inventus; «et in laetitiam luctus ille mu«tatur.... Semper enim per«dunt, et semper inveniunt. Re«fertur ergo in sacris imago rei, «quae vere gesta est, quae pro«fecto, si quid sapimus, declarat «mortalem mulierem fuisse, ac «paene orbam, nisi unicum repe«risset». Et IULIUS FIRMICUS (*De error. profan. relig.* I): «Haec est «Isiaci sacri summa. In adytis «habet idolum Osiridis sepultum; «hoc annuis luctibus plangunt, ra«dunt capita, ut miserandum ca«sum regis sui turpitudine deho«nestati defleant capitis, tundunt «pectus, lacerant lacertos, vete«rum vulnerum resecant cicatri«ces, ut annuis luctibus in ani«mis eorum funestae ac miseran«dae necis exitium renascatur, «et cum haec certis diebus fece«rint, tunc fingunt se lacerati cor«poris reliquias reperire, et cum «invenerint, quasi sopitis luctibus «gaudent». HERODOTUS denique

ridiculum est vel lugere quod colas vel colere quod lugeas? Haec tamen Aegyptia quondam nunc et sacra Romana sunt. Ceres facibus accensis et serpente circumdata errore subreptam et corruptam Liberam anxia et sollicita vestigat: haec sunt Eleusinia.(1) Et quae Iovis sacra sunt? Nutrix capella est et avido patri subtrahitur infans, ne voretur, et Corybantum cymbalis, ne pater audiat vagitus, tinnitus eliditur.(2) Cybelae Dindyma pudet dicere, quae adulterum suum infeliciter pla-

ait (*Histor.* II, 61): « Verberantur « post sacrificium cuncti et cun« ctae, multa sane hominum millia. « Quo autem verberantur non est « mihi fas dicere, sed ex omnibus « praecipue hoc faciunt Cares, qui « Aegyptum incolunt; adeo qui« dem ut gladio frontes concidant». Ex his facile intelliguntur allusiones Octavii.

(1) Ad explicandam rationem, ex qua orta sunt mysteria Eleusina, ex CICERONE haec mutuanda duximus: « Haec est opinio quae con« stat ex antiquissimis Graecorum « litteris atque monumentis, insu« lam Siciliam totam esse Cereri « et Liberae consecratam. Hoc « cum ceterae gentes sic arbitran« tur, tum ipsis Siculis tam per« suasum est, ut animis eorum « insitum atque innatum esse vi« deatur. Nam et natas esse has « in his locis deas, et fruges in ea « terra primum repertas arbitran« tur, et raptam esse Liberam, « quam eandem Proserpinam vo« cant, ex Ennensium nemore, qui « locus, qui in media est insula « situs, umbilicus Siciliae nomi« natur; quam cum investigare et « conquirere Ceres vellet, dicitur « inflammasse taedas iis ignibus, « qui ex Aetnae vertice erumpunt, « quas sibi cum ipsa praeferret, « orbem omnium peragrasse ter« rarum.... Etenim propter est « spelunca quaedam, conversa ad « Aquilonem, infinita altitudine, « qua Ditem patrem (Plutonem) « ferunt repente cum curru exsti« tisse, abreptamque ex eo loco « virginem secum asportasse, et « subito non longe a Siracusis pe« netrasse sub terris, lacumque in eo « loco repente exstitisse ubi usque « ad hoc tempus Syracusani festos « dies anniversarios agunt celeber« rimo virorum mulierumque con« ventu » (*Or.* IV, in *Verr.* 49).

(2) Iuxta legendam Saturnus a Titano ea conditione primogeniti iura acceperat, ut quos mares filios suscepisset, statim devoraret. Rhea tamen uxor cum Iovem et Iunonem peperisset, Iovem subtraxit eumque Corybantibus tradidit, qui in insulam Cretam delatum capra Amalthea nutriverunt et saltu quodam determinato infantis vagitus, ne ad aures Saturni pervenirent, effecerunt.

citum, quoniam ipsa et deformis et vetula, ut multorum deorum mater, ad stuprum illicere non poterat, exsecuit, ut deum scilicet faceret éunuchum. Propter hanc fabulam Galli eam et semiviri sui corporis supplicio colunt. (1) Haec iam non sunt sacra, tormenta sunt.

Quid? formae ipsae et habitus nonne arguunt ludibria et dedecora deorum vestrorum? Vulcanus claudus ⟨deus⟩ et debilis, Apollo tot aetatibus levis, Aesculapius bene barbatus, etsi semper adulescentis Apollinis filius, Neptunus glaucis oculis, Minerva caesis, bubulis Iuno, pedibus Mercurius alatis, Pan ungulatis, Saturnus compeditis. Ianus vero frontes duas gestat, quasi et aversus incedat: Diana interim est alte succincta venatrix et Ephesia mammis multis et uberibus exstructa et Trivia trinis capitibus et multis manibus horrifica. Quid ipse Iuppiter vester? Modo imberbis statuitur, modo barbatus locatur; et cum Hammon dicitur, habet cornua, et cum Capitolinus, tunc gerit fulmina, et cum Latiaris, cruore perfunditur, et cum Feretrius [opimis induitur]. Et ne longius multos Ioves obeam, tot sunt Iovis monstra quot nomina. Erigone suspensa de laqueo est, ut virgo inter astra ignita sit, Castores alternis moriuntur ut vivant, Aesculapius ut in deum surgat fulminatur, Hercules ut hominem exuat, Oetaeis ignibus concrematur. (2)

(1) Cybeles Dindyma appellata est, quia in Phrygia super montem Dindymum templum erat ei consecratum. Turpissima est eius legenda, turpissima etiam mysteria. S. Augustinus, qui testatur « usque ad hesternum diem » seu usque ad sua tempora mysteria illa fuisse celebrata, ait: « Sacra « sunt Matris Deum, ubi Atys, pul« cher adolescens, ab ea dilectus, « et muliebri zelo abscissus, etiam « hominum abscissorum, quos *gal« los* vocant, infelicitate deplora« tur » (*De Civit. Dei,* VI, 26).

(2) De Erigone, Le Nourry haec habet: « Duplex est scripto« rum ethnicorum de illa Erigone « opinio, seu potius fabula. A « quibusdam enim dicitur filia Icari « Atheniensis, quem cum rustici « temulenti occidissent, illa pater« nae necis a cane admonita, vi« soque illius cadavere, laqueo se

XXIII. Has fabulas et errores et ab imperitis parentibus discimus, et quod est gravius, ipsi studiis et disciplinis elaboramus, carminibus praecipue poetarum, qui plurimum quantum veritati ipsi sua auctoritate nocuerunt. Et Plato ideo praeclare Homerum illum inclytum laudatum et coronatum de civitate, quam in sermone instituebat, eiecit. Hic enim praecipuus bello Troico deos vestros, etsi ludos facit, tamen in hominum rebus et actibus miscuit, hic eorum paria composuit, sauciavit Venerem, Martem vinxit, vulneravit, fugavit.

« suspendit. Post mortem vero « ipsa virgo ac canis monitor suo « nomine sedem inter astra habere « finguntur. Fabulantur alii Eri« gonem fuisse Aegisti et Clyte« mnestrae filiam, quae ut Orestem « accusaret, Athenas cum Tyndaro « avo suo profecta, ubi de illius « absolutione certior facta est, la« queo vitam sibi ademit. Minu« cius vero magis spectasse videtur « ad primam opinionem, quae Eri« gonem canemque illum inter « astra censeri garriebat ». De Castore et Polluce vero: « Fingebant enim (ethnici) Castorem et « Pollucem, Phoebes et Talactae « filiarum Leucippi, quae Lynceo « et Idae desponsatae fuerant, « amore captos. Quamobrem Ca« stor a Lynceo, ut quidam autu« mant vel ab Ida vel a Meleagro, « vel a Policine, ut alii opinantur, « interfectus est. Pollux vero a « Iove patre suo petiit ut Castorem « immortalitate donaret. Sed id « impetrare cum non potuisset, « obtinuit immortalitatis dimidium « uni ut alteri dimidium imperti« retur. Alternis itaque diebus vi« vere dicti sunt ». De Aesculapio allegat Diodorum Siculum dicentem: « Pluto querelam de Aescu« lapio, quod videlicet medicatione « eius mortuorum numerus sub« inde decresceret, apud Iovem « instituit, eumque de diminuta « regni inferni potentia accusa« vit. Hoc iratus Iupiter fulminis « ictu Aesculapium necavit ». Alii tamen alias afferunt causas. De Hercule tandem ex Diodoro Siculo haec simul colligit: « Postquam « Hercules interulam, a Deianira « philtro centauri ad perniciem « comparato perunctam induisset, « in exitialem vel, ut narrat Ar« nobius, in comitialem morbum « statim incidit. Dehinc morbo « ingravescente et omni recuperan« dae salutis spe abiecta, pyram, ut « Delphico oraculo obtemperaret, « conscendit. Huic ignem subiecit « Philoctetes, moxque fulminibus « tacta in cineres cum Herculis cor« pore redacta est. Postea vero « cum ossa illius frustra Iolaus con« quisivisset, fama percrebuit illum « ad deos convolasse » (*Dissert. in Minuc. Felic.* XVII, 3).

Iovem narrat Briareo liberatum, ne a diis ceteris ligaretur, et Sarpedonem filium, quoniam morti non poterat eripere, cruentis imbribus flevisse, et loro Veneris illectum flagrantius, quam in adulteras soleat, cum Iunone uxore concumbere. Alibi Hercules stercula egerit et Apollo Admeto pecus pascit. Laomedonti vero muros Neptunus instituit, nec mercedem operis infelix structor accipit. Illic [Vulcanus] Iovis fulmen cum Aeneae armis in incude fabricatur, cum caelum et fulmina et fulgura longe ante fuerint, quam Iuppiter in Creta nasceretur, et flammas veri fulminis nec Cyclops potuerit imitari nec ipse Iuppiter non vereri. Quid loquar Martis et Veneris adulterium deprehensum et in Ganymeden Iovis stuprum caelo consecratum? (1) Quae omnia in hoc prodita, ut vitiis hominum quaedam auctoritas pararetur. His atque huiusmodi figmentis et mendaciis dulcioribus corrumpuntur ingenia puerorum et isdem fabulis inhaerentibus adusque summae aetatis robur adolescunt et in isdem opinionibus miseri consenescunt, cum sit veritas obvia, sed requirentibus.

Quis ergo dubitat hominum imagines consecratas vulgus orare et publice colere, dum opinio et mens imperitorum artis concinnitate decipitur, auri fulgore praestringitur, argenti nitore et candore eboris hebetatur? Quodsi in animum quis inducat, tormentis quibus et quibus machinis simulacrum

(1) Cfr. Homer. de Venere sauciata a Diomede *Iliad.* V, 335 sqq.; de Marte vincto et vulnerato *Iliad.* V, 385 sqq.; de Iove a Briaraeo liberato *Iliad.* I, 399 sqq.; de Iove et Sarpedone *Iliad.* XVI, 667 sqq.; de loro Veneris *Iliad.* XIV, 204 sqq.; de quinto labore Herculis, quo Augiae regis stabulum purgavit *Iliad.* II, 695 sqq.; de Apolline, qui propter necem Cyclopibus illatam, e caelo eiectus, Admeti regis Thessalorum pecus custodivit *Iliad.* II, 780; de Neptuno, qui Laomedonti ad moenia Troiana aedificanda auxilium dedit, *Iliad.* XXI, 443 sqq.; de Vulcano, qui fulmina et arma fabricavit (Achillis tamen, non Aeneae) *Iliad.* XVIII, 454 sqq. (cfr. Virgil. *Aeneid.* VIII, 439 sqq.); de adulterio Martis et Veneris *Odyss.* VIII, 267 sqq.; de Ganimede *Iliad.* XX, 231. Cfr. Tertull. *Apolog.* 14.

omne formetur, erubescet timere se materiem ab artifice, ut deum faceret, illusam. Deus enim ligneus, rogi fortasse vel infelicis stipitis portio, suspenditur, caeditur, dolatur, runcinatur. Et deus aereus vel argenteus de immundo vasculo, ut accepimus factum Aegyptio regi, conflatur, tunditur malleis et [in] incudibus figuratur: et lapideus [deus] caeditur, scalpitur et ab impurato homine levigatur, nec sentit suae nativitatis iniuriam, ita ut nec postea de vestra veneratione culturam: nisi forte nondum deus saxum est vel lignum vel argentum. Quando igitur hic nascitur? Ecce funditur, fabricatur, sculpitur: nondum deus est: ecce plumbatur, construitur, erigitur: nec adhuc deus est: ecce ornatur, consecratur, oratur: tunc postremo deus est, cum homo illum voluit et dedicavit.

XXIV. Quanto verius de diis vestris animalia muta ⟨naturaliter⟩ iudicant! Mures, hirundines, milvi non sentire eos sciunt: rodunt, inculcant, insident, ac nisi abigatis, in ipso dei vestri ore nidificant: araneae vero faciem eius intexunt et de ipso capite sua fila suspendunt. Vos tergetis, mundatis, eraditis et illos, quos facitis, protegitis, et timetis, dum unusquisque vestrum non cogitat prius se debere deum nosse quam colere, dum inconsulte gestiunt parentibus obedire, dum fieri malunt alieni erroris accessio quam sibi credere, dum nihil ex his quae timent norunt. Sic in auro et argento avaritia consecrata est, sic statuarum inanium consignata forma, sic nata Romana superstitio: quorum ritus si percenseas, ridenda quam multa, [quam multa] etiam miseranda sunt! Nudi cruda hieme discurrunt, alii incedunt pileati, scuta vetera circumferunt, pelles caedunt, mendicantes vicatim deos ducunt: quaedam fana semel anno adire permittunt, quaedam in totum nefas visere: est quo viro non licet, nonnulla absque feminis sacra sunt, etiam servo quibusdam caerimoniis interesse piaculare flagitium est: alia sacra coronat univira, alia multivira, et magna religione conquiritur quae plura possit adulteria

numerare. Quid, qui sanguine suo libat et vulneribus suis supplicat, [nonne] profanus melius esset quam sic religiosus? aut cui testa sunt obscena demessa, quo modo deum [non] violat qui hoc modo placat, cum si eunuchos deus vellet, posset procreare, non facere? quis non intelligat male sanos et vanae et perditae mentis in ista desipere et ipsam errantium turbam mutua sibi patrocinia praestare? Hic defensio communis furoris est furentium multitudo.[1]

(1) Alludit Octavius ad varios religiosos mores ethnicorum. Qui *nudi cruda hieme discurrunt*, sunt Luperci seu sacerdotes Panis vel Fauni. Festa Lupercalia, ab Evandro vel a Lupa instituta, die tertia post idus februarias celebrabantur. Tunc Luperci nudi, pudendis tantum recens mactatorum pecudum exuviis succinctis, ad montem Palatinum (Lupercale) discurrebant, obvium quemque verberantes, etiam mulieres, quae dexteram sponte praebebant, sperantes fore ut verbere lubrico, ut ait Prudentius, fecundae evaderent. Cfr. Liv. *Hist.* I, 5. Qui vero *pileati scuta vetera circumferebant* sunt Salii, de quibus Livius narrat: « Salios duodecim Marti Gradivo « legit (Numa Pompilius) tunicae« que pictae insigne dedit, et super « tunicam aeneum pectori tegumen « caelestiaque arma, quae ancilia « appellantur, ferre, ac per urbem « ire canentes carmina cum tripu« diis solemnique saltatu iussit » *Hist.* I, 20). Scuta ferebantur e caelo fuisse delapsa. Quod ad *caedentes pelles* non una sententia est: alii ad Lupercales referunt, et hinc verba illa post *nudi cruda hieme discurrunt* ponunt; alii ad Salios ipsos vel ad mendicantes pertinere putant. *Mendicantes* vero qui *vicatim deos ducunt* Cybeles praesertim sacerdotes esse videntur, qui simulacrum Cybelis per vicos ducebant, colligentes non solum stipes aureas et argenteas, sed etiam quidquid unusquisque largiebatur. Exemplum fani, quod *semel tantum in anno adire permittebatur*, est fanum Eurimonis et Dindymenae Matris; fanum vero Cereris et Proserpinae feminis quovis tempore, viris quotannis semel patebat. Alia fana nunquam *visere fas erat*, ut templum Neptuni Mantineae, aedes Necessitatis et Violentiae, arae Solis. Viri introire non poterant in quaedam templa: ex. gr. in sacrarium Cereris apud Catinenses, Cereris Mysiae, Bonae deae, aut in fano Vestae pernoctare; nec vicissim mulieres in sacrarium Herculis. Servi pariter a sacris Herculis atque a thesmophoriis, seu a sacris Cereris, arcebantur. Simulacrum Fortunae Muliebris ab *univira* coronabatur; alia vero a *multivira*

XXV. At tamen ista ipsa superstitio Romanis dedit, auxit, fundavit imperium, cum non tam virtute quam religione et pietate pollerent. Nimirum insignis et nobilis iustitia Romana ab ipsis imperii nascentis incunabulis auspicata est. Nonne in ortu suo et scelere collecti et muniti immanitatis suae terrore creverunt? Nam asylo prima plebs congregata est: confluxerant perditi, facinorosi, incesti, sicarii, proditores, et ut ipse Romulus imperator et rector populum suum facinore praecelleret, parricidium fecit. Haec prima sunt auspicia religiosae civitatis. Mox alienas virgines iam desponsatas, iam destinatas et nonnullas de matrimonio mulierculas sine more rapuit, violavit, et cum earum parentibus, id est cum soceris suis bellum miscuit, propinquum sanguinem fudit. Quid irreligiosius, quid audacius, quid ipsa sceleris confidentia turpius? Iam finitimos agro pellere, civitates proximas evertere cum templis et altaribus, captos cogere, damnis alienis et suis sceleribus adolescere cum Romulo regibus ceteris et posteris ducibus disciplina communis est. Ita quicquid Romani tenent, colunt, possident, audaciae praeda est: templa omnia de manubiis, id est de ruinis urbium, de spoliis deorum, de caedibus sacerdotum: hoc insultare et illudere est, victis religionibus servire, captivas eas post victorias adorare. Nam adorare quae manu ceperis, sacrilegium est consecrare, non numina. Totiens ergo Romanis impiatum est quotiens triumphatum, tot de diis spolia quot de gentibus sunt tropaea. Igitur Romani non ideo tanti, quod religiosi, sed quod impune sacrilegi.

Neque enim potuerunt in ipsis bellis deos adiutores habere, adversus quos arma rapuerunt, sed quos prostraverant, detriumphatos colere coeperunt. Quid autem isti dii pro

femina, interdum etiam a scelestissima, quae plura commisisset adulteria. Denique Octavius alludit ad sacerdotes Cybelis et Bellonae, qui virilia sua abscindendo, lacertos ensibus vel cultris vulnerando, linguam etiam incidendo, numina sua colebant. Quot impietates turpissimae et vesanissimae!

Romanis possunt, qui nihil pro suis adversus eorum arma valuerunt? Romanorum enim vernaculos deos novimus: Romulus, Picus, Tiberinus et Consus et Pilumnus ac Volumnus dii. Cloacinam Tatius et invenit et coluit, Pavorem Hostilius atque Pallorem, mox a nescio quo Febris dedicata: haec alumna urbis istius superstitio, morbi et malae valetudines. Sane et Acca Larentia et Flora, meretrices propudiosae, inter morbos Romanorum et deos computandae. Isti scilicet adversus ceteros, qui in gentibus colebantur, Romanorum imperium protulerunt: neque enim eos adversum suos homines vel Mars Thracius vel Iuppiter Creticus vel Iuno nunc Argiva, nunc Samia, nunc Poena, vel Diana Taurica vel Mater Idaea vel Aegyptia illa non numina, sed portenta iuverunt. (1) Nisi forte apud istos maior castitas virginum aut religio sanctior sacerdotum, cum paene in pluribus virginibus, sed quae inconsultius se viris miscuissent, ⟨Vesta sane nesciente⟩, sit incestum vindicatum, in residuis impunitatem fecerit non castitas tutior, sed impudicitia felicior. Ubi autem magis a sacerdotibus quam inter aras et delubra conducuntur stupra, tractantur lenocinia, adulteria meditantur? Frequentius denique in aedituorum cellulis quam in ipsis lupanaribus flagrans libido defungitur.(2) Et tamen ante eos Deo dispensante diu regna tenuerunt Assyrii, Medi, Persae, Graeci etiam et Aegyptii, cum Pontifices et Arvales et Salios et Vestales et Augures non haberent nec pullos cavea reclusos, quorum cibo vel fastidio res publica summa regeretur.(3)

(1) Cfr. CYPR. *De idol. vanit.* 4, 5.

(2) Cfr. TERTULL. *Apolog* 15. Fortassis videri possunt exaggerata, quae de moribus Vestalium et sacerdotum Octavius disputat; sed si prae oculis habeantur, quae ab ethnicis scriptoribus traduntur (cfr. SUETONIUS, *Domitianus*, 8; *Tiberius*, 4; OVIDIUS, *Metamorph.* X, 2 sqq.; IUVENALIS, *Satyr.* IX, 22 sqq.), omnis admiratio cessabit. Ceterum cum vitia essent ab ipsis diis probata, in eorum sacrariis et a personis eorum cultui consecratis facile patrari poterant.

(3) Cfr. TERTULL. *Apolog.* 26; CYPR. *De idol. vanit.* 5. Contra argumentum ethnicorum, de po-

XXVI. Iam enim venio ad illa auspicia et auguria Romana, quae summo labore collecta testatus es et poenitenter omissa et observata feliciter. Clodius scilicet et Flaminius et Iunius ideo exercitus perdiderunt, quod pullorum solistimum tripudium exspectandum non putaverunt. (1) Quid Regulus? nonne auguria servavit et captus est? Mancinus religionem tenuit, et sub iugum missus est et deditus. Pullos edaces habuit et Paulus, apud Cannas tamen cum maiore populi Romani parte prostratus est. (2) Gaius Caesar, ne ante brumam in Africam navigia transmitteret, auguriis et auspiciis renitentibus, sprevit: eo facilius et navigavit et vicit. Quae vero et quanta de oraculis prosequar? Post mortem Amphiaraus ventura respondit, qui proditum iri se ob monile ab uxore nescivit. Tiresias ⟨caecus⟩ futura videbat, qui praesentia non videbat. De Pyrrho Ennius Apollinis Pythii responsa con-

tentia imperii Romani per cultum deorum acquisita, agunt etiam alii scriptores christiani, ut AMBROSIUS, *Ep. XVIII;* PRUDENTIUS, *Contra Symmach.* II, 4; AUGUSTINUS, *De Civit. Dei*, III, 8 sqq.; IV, 3 sqq. Augures ex cibo, prout a pullis accipiebatur vel reiciebatur, futura praedicere contendebant.

(1) De *solistimo tripudio* haec ex CICERONE discimus: « Attulit in « cavea pullos is, qui ex eo ipso « nominatur *pullarius*. Haec sunt « igitur aves internuntiae Iovis! « quae pascantur necne, quid re- « fert? Nihil ad auspicia; sed « quia cum pascuntur, necesse est « aliquid ex ore cadere, et ter- « ram pavire, *terripavium* primo, « post *terripudium* dictum est; « hoc quidem iam *tripudium* ⟨*so*- « *listimum*⟩ dicitur. Cum igitur « offa cecidit ex ore pulli, tum « auspicanti tripudium solistimum « nuntiavit » (*De divin.* II, 34).

(2) Cfr. CYPR. *De idol. vanit.* 5; De M. Attilii Reguli religione, cfr. VALER. MAX. *Memor.* I, 1. Circa C. Hostilium Mancinum, qui a Numantinis devictus, turpem pacem inivit, difficultas habetur, quia auspicia minime erant favorabilia. FLORUS in *Epit. LV Livii* narrat: « C. Hostilio Mancino con- « sule sacrificante, pulli ex cavea « evolaverunt; conscendenti in « navem, ut in Hispaniam profi- « cisceretur, accidit audiri: Mane, « mane, Mancine; quae auspicia « tristia fuisse eventu probatum « est » (Cfr. VALER. MAX. *Memor.* I, 6). Sed res exinde explicatur, quod infelix consul ab aruspicibus deceptus est. Denique de L. Aemilio Paulo cfr. LIVII, *Histor.* XXII, 50.

finxit, cum iam Apollo versus facere desiisset: cuius tunc cautum illud et ambiguum defecit oraculum, cum et politiores homines et minus creduli esse coeperunt. Et Demosthenes, quod sciret responsa simulata, φιλιππίζειν Pythiam querebatur.(1)

At nonnunquam tamen veritatem vel auspicia vel oracula tetigerunt. Quamquam inter multa mendacia videri possit industriam casus imitatus, aggrediar tamen fontem ipsum erroris et pravitatis, unde omnis caligo ista manavit, et altius eruere et aperire manifestius. Spiritus sunt insinceri, vagi a caelesti vigore terrenis labibus et cupiditatibus degravati. Isti igitur spiritus, posteaquam simplicitatem substantiae suae onusti et immersi vitiis perdiderunt, ad solatium calami-

(1) Octavius plura congerit, quibus ostendat fieri non potuisse, ut oracula veritatem proferrent. In primis habetur Amphiaraus, filius Apollinis et Hypermestrae, qui vivens celeberrimus divinator exstitit et mortuus responsa in templo ab Oropis aedificato in Attica dedit. Nihilominus sibi non profuit, quia cum nollet ob mortis metum ad Thebanum bellum pergere, eademque de causa in abscondita confugisset, ab Eriphyla uxore, monilis dono a Polynice seducta, proditus et invitus profectus est. Tiresias, de quo HOMERUS (*Odyss.* X, 492 sqq.), magus erat illustris; sed quia Minervam lavantem viderat, obcoecatus est. Quod ad responsum Apollinis, haec ex CICERONE cognoscimus: « Herodotum cur veraciorem ducam Ennio? Num minus ille « potuit de Croeso, quam de Pyrrho « fingere Ennius? Quis enim est « qui credat Apollinis ex oraculo « Pyrrho esse responsum:

Aio te, Aeacida, Romanos vincere posse?

« Primum latine Apollo nunquam « locutus est; deinde ista sors « inaudita Graecis est; praeterea « Pyrrhi temporibus iam Apollo « versus facere desierat; postremo « quamquam semper fuit, ut apud « Ennium est, " stolidum genus « Aeacidarum," ... tamen hanc « amphiboliam versus intelligere « potuisset, " vincere te Roma- « nos, " nihilo magis in se, quam « in Romanos, valere » (*De divin.* II, 56). Postremo ipse CICERO ait: « Demosthenes quidem, qui « abhinc annos prope CCC fuit, iam « tum φιλιππίζειν Pythiam dicebat, « id est quasi cum Philippo facere. « Hoc autem eo spectabat, ut eam « a Philippo corruptam diceret » (*De divin.* c. 57).

tatis suae non desinunt perditi iam perdere et depravati errorem pravitatis infundere et alienati a Deo inductis pravis religionibus a Deo segregare. Eos spiritus daemones esse poetae sciunt, philosophi disserunt, Socrates novit, qui ad nutum et arbitrium assidentis sibi daemonis vel declinabat negotia vel petebat. Magi quoque non tantum sciunt daemones, sed etiam quicquid miraculi ludunt, per daemones, faciunt: illis adspirantibus et infundentibus praestigia edunt, [et efficiunt] vel quae non sunt videri, vel quae sunt non videri. Eorum magorum et eloquio et negotio primus Hostanes et verum Deum merita maiestate prosequitur et angelos, id est ministros et nuntios Dei sed veri, eius venerationi novit assistere, ut et nutu ipso et vultu domini territi contremiscant. Idem etiam daemones prodidit terrenos, vagos, humanitatis inimicos.(1) Quid Plato, qui invenire Deum negotium credidit, nonne et angelos sine negotio narrat et daemones? et in *Symposio* etiam suo naturam daemonum exprimere connititur? Vult enim esse substantiam inter mortalem immortalemque, id est inter corpus et spiritum mediam, terreni ponderis et caelestis levitatis admixtione concretam, [ex quo movent etiam nos per cupidinem amoris], et dicit informari et illabi pectoribus humanis et sensum movere et affectus fingere et ardorem cupiditatis infundere.(2)

(1) Cfr. TERTULL. *Apolog.* 22 sqq.; CYPR. *De idol. vanit.* 6. De Hostane, mago celeberrimo, haec habet PLINIUS « Primus est (ut « quidem invenio) commentatus « de eo Hostanes, Xerxem regem « Persarum, bello quod is in Grae- « ciam intulit, comitatus; ac velut « semina artis portentosae sparsit, « obiter infecto, quacumque com- « meaverat, mundo » (*Nat. histor.* XXX, 1).

(2) Cfr. TERTULL. *Apolog.* 22, 23; CYPR. *De idol. vanit.* 7. Duo praesertim sunt adnotanda: 1° oracula ethnicorum non semper fraude et astutia sacerdotum conficta, sed quandoque ope diabolica vere probata; 2° christiani ad invocationem Dei vivi et veri daemones exigebant ex corporibus, quae ab illis possidebantur. Hanc potestatem inter alios confirmant LACTANTIUS, *Instit. divin.* II, 14

XXVII. Isti igitur impuri spiritus, daemones, ut ostensum [a] magis, a philosophis et a Platone, sub statuis et imaginibus consecratis delitescunt et afflatu suo auctoritatem quasi praesentis numinis consequuntur, dum inspirant interim vates, dum fanis immorantur, dum nonnunquam exstorum fibras animant, avium volatus gubernant, sortes regunt, oracula efficiunt, falsis pluribus involuta. Nam et falluntur et fallunt, ut et nescientes sinceram veritatem et quam sciunt, in perditionem sui non confitentes. Sic a caelo deorsum gravant et a Deo vero ad materias avocant, vitam turbant, somnos inquietant, irrepentes etiam corporibus occulte ut spiritus tenues morbos fingunt, terrent mentes, membra distorquent, ut ad cultum sui cogant, ut nidore altarium vel hostiis pecudum saginati, remissis quae constrinxerant, curasse videantur. Hinc sunt et furentes, quos in publicum videtis excurrere, vates et ipsi absque templo, sic insaniunt, sic bacchantur, sic rotantur: par et in illis instigatio daemonis, sed argumentum dispar furoris. De ipsis etiam illa, quae paulo ante tibi dicta sunt, ut Iuppiter ludos repeteret ex somnio, ut cum equis Castores viderentur, ut cingulum matronae navicula sequeretur. Haec omnia sciunt pleraque pars vestrum ipsos daemones de semetipsis confiteri, quoties a nobis tormentis verborum et orationis incendiis de corporibus exiguntur. Ipse Saturnus et Serapis et Iuppiter et quicquid daemonum colitis, victi dolore quod sunt eloquuntur, nec utique in turpitudinem sui, nonnullis praesertim vestrum assistentibus, mentiuntur. Ipsis testibus, esse eos daemones, credite fassis: adiurati enim per Deum verum et solum inviti miseris corporibus inhorrescunt et vel exsiliunt statim vel evanescunt gradatim, prout fides patientis adiuvat aut gratia curantis aspirat. Sic christianos

et ATHANASIUS, *De Incarn. Verbi*, 31, qui postremus solo signo crucis et invocatione Christi daemones fugisse, cessasse oracula, omnem artem magicam veneficamque evanuisse dicit.

de proximo fugitant, quos longe in coetibus per vos lacessebant. Ideo inserti mentibus imperitorum odium nostri serunt occulte per timorem: naturale est enim et odisse quem timeas, et quem metueris infestare, si possis. Sic occupant animos et obstruunt pectora, ut ante nos incipiant homines odisse quam nosse, ne cognitos aut imitari possint aut damnare non possint.

XXVIII. Quam autem iniquum sit, [de] incognitis et inexploratis iudicare, quod facitis, nobis ipsis poenitentibus credite. Et nos enim idem fecimus et eadem vobiscum quondam adhuc caeci et hebetes sentiebamus, quasi christiani monstra colerent, infantes vorarent, convivia incesta miscerent, nec intelligebamus ab his fabulas istas semper ventilari et nunquam vel investigari vel probari, nec tanto tempore aliquem exsistere qui proderet, non tantum facti veniam, verum etiam indicii gratiam consecuturum: malum autem adeo non esse, ut christianus reus nec erubesceret nec timeret, et unum solummodo, quod non ante fuerit, poeniteret. Nos tamen cum sacrilegos aliquos et incestos, parricidas etiam defendendos et tuendos suscipiebamus, hos nec audiendos in totum putabamus, nonnunquam etiam miserantes eorum crudelius saeviebamus, ut torqueremus confitentes ad negandum, videlicet ne perirent, exercentes in his perversam quaestionem, non quae verum erueret, sed quae mendacium cogeret. Et si qui infirmior malo pressus et victus christianum se negasset, favebamus ei, quasi eierato nomine iam omnia facta sua illa negatione purgaret. Agnoscitisne eadem nos sensisse et egisse, quae sentitis et geritis? Cum si ratio, non instigatio daemonis iudicaret, [essent] urgendi magis, non ut diffiterentur se christianos, sed ut de incestis stupris, de impiatis sacris, de infantibus immolatis faterentur. His enim et huiusmodi fabulis idem daemones ad exsecrationis horrorem imperitorum aures adversus nos referserant. Nec tamen mirum, quoniam fama, quae semper insparsis mendaciis alitur, ostensa veritate

consumitur. Sic est negotium daemonum: ab ipsis enim rumor falsus et seritur et fovetur. Inde est quod audire te dicis, caput asini rem nobis esse divinam. Quis tam stultus, ut hoc colat? quis stultior, ut hoc coli credat? nisi quod vos et totos asinos in stabulis cum vestra vel [sua] Epona consecratis et eosdem asinos cum Iside religiose decoratis, item boum capita, vervecum et immolatis et colitis, de capro etiam et homine mixtos deos et leonum et canum vultibus deos dedicatis. Nonne et Apim bovem cum Aegyptiis adoratis et pascitis? nec eorum sacra damnatis instituta serpentibus, crocodilis, ⟨belluis ceteris⟩ et avibus et piscibus, quorum aliquem deum si quis occiderit, etiam capite punitur? Idem Aegyptii cum plerisque vobis non magis Isidem quam ceparum acrimonias metuunt, nec Serapidem magis quam strepitus per pudenda corporis expressos contremiscunt.(1) Etiam ille, qui de adoratis sacerdotis virilibus adversum nos fabulatur, temptat in nos conferre quae sua sunt. Ista enim impudicitiae eorum forsitan sacra sint, apud quos sexus omnis membris omnibus prostat, apud quos tota impudicitia vocatur urbanitas, qui scortorum licentiae invident, qui medios viros lambunt,

(1) Cfr. TERTULL. *Apolog.* 16, 17, 24; *Ad nation.* I, 14. Epona vel Ippona equorum patrona erat, eiusque simulacrum in stabulis positum coronis roseis decorabatur. Isis a sacerdotibus circumferebatur per casulas, vicos et castra contecta serico amiculo. Boves, teste HERODOTO, si mares, immolabantur; si feminae, in honorem Isidis colebantur ab Aegyptiis (*Hist.* II, 41). Vervex a Samiis colebatur, sed ab aliis sacrificabatur Laribus. Panis simulacrum, sicut tradit HERODOTUS, repraesentabatur « caprina facie hircinisque « cruribus » (*Hist.* II, 46). De ceteris monstruosis figuris, quid antiqui narraverint, res notissima est. Apis bos ab Aegyptiis colebatur et in septo quodam nutriebatur a Memphitis, sicut Mnevis bos ab Heliopolitanis, quemadmodum ex Strabone discimus. Quod ad cepas et crepitus ventris, plures scriptores loquuntur. Revocanda sunt in mentem verba IUVENALIS:

O sanctas gentes, quibus haec nascuntur [in hortis
Numina!

Sic Octavius argumentum Caecilii de ridiculo cultu asini christianis affícto copiose retorquet.

libidinoso ore inguinibus inhaerescunt, homines malae linguae etiam si tacerent, quos prius taedescit impudicitiae suae quam pudescit. Proh nefas! id in se mali facinoris admittunt, quod nec aetas potest pati mollior nec cogi servitus durior.

XXIX. Haec et huiusmodi propudia nobis non licet nec audire, etiam pluribus turpe defendere est: ea enim de castis fingitis et pudicis, quae fieri non crederemus, nisi de vobis probaretis. Nam quod religioni nostrae hominem noxium et crucem eius adscribitis, longe de vicinia veritatis erratis, qui putatis Deum credi aut meruisse noxium aut potuisse terrenum.(1) Nae ille miserabilis, cuius in homine mortali spes omnis innititur; totum enim eius auxilium cum exstincto homine finitur. Aegyptii sane hominem sibi quem colant eligunt: illum unum propitiant, illum de omnibus consulunt, illi victimas caedunt. At ille, qui ceteris deus, sibi certe homo est, velit nolit: nec enim conscientiam suam decipit, si fallit alienam. Etiam principibus et regibus, non ut magnis et electis viris, sicut fas est, sed ut deis turpiter adulatio falsa blanditur, cum et praeclaro viro honor verius et optimo amor dulcius praebeatur. Sic eorum numen vocant, ad imagines supplicant, genium, ⟨id est daemonem eorum⟩ implorant, et est

(1) Sensus verborum Octavii est sedulo inquirendus. Dupliciter enim exponi possunt: vos ethnici putatis nos christianos colere Christum hominem noxium, ideoque putatis nos divinitatem tribuere homini qui ut noxius eam mereri, ut terrenus eam habere non poterat; sed erratis, quia nos christiani Christum non colimus ut Deum; — deinde: sed erratis, quia nos christiani Christum quidem colimus, at ipse neque noxius est, utpote innocens cruci affixus, neque terrenus, quia Deus est. Quaenam ex duabus hisce interpretationibus, quarum prior radicem difficultatis tollit, altera rationem cultus declarat, sit praeferenda, nemini dubium erit, si animadvertatur historice falsum esse christianos non coluisse Christum, cum ex epistola Plinii ad Traianum eruatur eos « carmen Christo, quasi Deo, dicere secum invicem ». Octavius igitur nobis praebet argumentum ad divinitatem Christi demonstrandam.

eis tutius per Iovis genium perierare quam regis.[1] Cruces etiam nec colimus nec optamus.[2] Vos plane, qui ligneos deos consecratis, cruces ligneas ut deorum vestrorum partes forsitan adoratis. Nam et signa ipsa et cantabra et vexilla castrorum quid aliud quam inauratae cruces sunt et ornatae? Tropaea vestra victricia non tantum simplicis crucis faciem, verum et adfixi hominis imitantur. Signum sane crucis naturaliter visimus in navi, cum velis tumentibus vehitur, cum expansis palmulis labitur: et cum erigitur iugum, ⟨crucis signum est⟩, et cum homo porrectis manibus Deum pura mente veneratur. Ita signo crucis aut ratio naturalis innititur aut vestra religio formatur.

XXX. Illum iam velim convenire, qui initiari nos dicit

(1) Cfr. TERTULL. *Apolog.* 28; EUS. *Praepar. evang.* III, 3; SUETONIUS, *Iulius Caesar*, 76; *Augustus*, 52; TACITUS, *Annal.* III, 36. LE NOURRY observat: « Nonnulli « a nobis fortasse inquirent cur Minucius tam confidenter pronuntiet ethnicos *tutius* vel sicut ait « Tertullianus *citius* per Iovis quam « imperatoris genium iurasse. Duplicem itaque rationem illis dabimus. Prima est quam Tertullianus nobis suggerit, gentiles « minus deos suos timuisse, quam « praesentem imperatorum potestatem. Secunda vero, quia « iuramenti Deo praestiti, inquit « Zosimus, condonatio divinae benignitati permissa erat (*Hist.* « V in fin.). Qui vero per genium principis vel in re aliqua « minoris momenti, verbi gratia « pecuniaria, perierabat, is, sicuti Ulpianus adnotavit, fustibus castigari iubebatur » (ULPIAN. lib. II, tit. 2 leg. 13, § *Si quis*).

(2) Duplex explicatio traditur: 1° Nos christiani cruces absolute non colimus, sed Christum, qui in cruce pro nobis mortuus est; eaque confirmari videtur ex sequentibus Octavii observationibus circa adorationem *ligneorum deorum*, quae absolute colebantur ab ethnicis; 2° Nos christiani cruces (non crucem Christi veram, quae nondum fuerat detecta) quascumque, quibus flagitiosi homines adfiguntur, neque colimus, neque optamus; eaque confirmatur sive ex accusatione Caecilii, qui *non adorandas* sed *subeundas cruces* dixerat (IX), sive ex opinione gentilium, qui putabant christianos omnibus in crucem actis simulque crucibus ipsis aliquam exhibere venerationem. Quaelibet accipiatur, nihil contra crucis venerationem ex verbis Minucii deducitur.

aut credit de caede infantis et sanguine. Putas posse fieri, ut tam molle, tam parvulum corpus fata vulnerum capiat? ut quisquam illum rudem sanguinem novelli et vixdum hominis caedat, fundat, exhauriat? Nemo hoc potest credere nisi qui possit audere. Vos enim video procreatos filios nunc feris et avibus exponere, nunc astrangulatos misero mortis genere elidere: sunt quae in ipsis visceribus medicaminibus epotis originem futuri hominis exstinguant et parricidium faciant, antequam pariant. Et haec utique de deorum vestrorum disciplina descendunt: nam Saturnus filios suos non exposuit, sed voravit. Merito ei in nonnullis Africae partibus a parentibus infantes immolabantur, blanditiis et osculo comprimente vagitum, ne flebilis hostia immolaretur. Tauris etiam Ponticis et Aegyptio Busiridi ritus fuit hospites immolare, et Mercurio Gallis humanas ⟨vel inhumanas⟩ victimas caedere, Romanis Graecum et Graecam, Gallum et Gallam sacrificii [loco] viventes obruere, hodieque ab ipsis Latiaris Iuppiter homicidio colitur, et quod Saturni filio dignum est, mali et noxii hominis sanguine saginatur. Ipsum credo docuisse sanguinis foedere coniurare Catilinam, et Bellonam sacrum suum hausto humani cruoris imbuere, et comitialem morbum hominis sanguine, id est morbo graviore sanare. Non dissimiles et qui de arena feras devorant illitas et infectas cruore vel membris hominis et viscere saginatas.(1) Nobis homicidium nec

(1) Cfr. Tertull. *Apolog.* 8, 9. Carthaginienses Saturno filios suos sacrificabant. Tauri quoscumque hospites apud se coepissent, ex iis qui in mari aberraverant, Dianae Tauricae sacrificabant. Busiris rex Aegypti ferebatur, qui susceptos hospites suis diis immolabat. Galli Mercurium praecipue colebant eique victimas humanas certis diebus mactabant. Romani Graecum et Graecam, Gallum et Gallam vivos in foro Boario sub terra defodiebant. Etiam Iovi Latiari sacrificium humanum offerebatur. De Catilinae coniuratione humano cruore, qui vino permixtus erat, foederata, fama pariter notissima est (Sallust. *De coniurat. Catilin.* 8). In sacris Bellonae, iuxta diversos scriptores, sacerdotes vel humeros, vel lacertos vel brachia

videre fas ⟨nec audire⟩ tantumque ab humano sanguine cavemus, ut nec edulium pecorum in cibis sanguinem noverimus.

XXXI. Et de incesto convivio fabulam grandem adversum nos daemonum coitio mentita est, ut gloriam pudicitiae deformis infamiae aspersione macularet, ut ante exploratam veritatem homines a nobis terrore infandae opinionis averteret. Sic de isto et tuus Fronto non ut affirmator testimonium fecit, sed convicium ut orator aspersit: haec enim potius de vestris gentibus nata sunt. Ius est apud Persas misceri cum matribus, Aegyptiis et Atheniensibus cum sororibus legitima connubia, memoriae et tragoediae vestrae incestis gloriantur, quas vos libenter et legitis et auditis; sic et deos colitis incestos, cum matre, cum filia, cum sorore coniunctos. Merito igitur incestum penes vos saepe deprehenditur, semper admittitur. Etiam nescientes, miseri, potestis in illicita proruere: dum venerem promiscue spargitis, dum passim liberos seritis, dum etiam domi natos alienae misericordiae frequenter exponitis, necesse est in vestros recurrere, in filios inerrare.[1] Sic incesti fabulam nectitis, etiam cum conscientiam non habetis. At nos pudorem non facie, sed mente praestamus: unius matrimonii vinculo libenter inhaeremus, cupiditatem procreandi aut unam scimus aut nullam, convivia non tantum pudica colimus sed et sobria: nec enim indulgemus epulis aut convivium mero ducimus, sed gravitate hilaritatem temperamus: casto sermone, corpore castiore plerique inviolati corporis virginitate perpetua fruuntur potius quam gloriantur:[2] tantum

secabant. Denique qui comitiali morbo laborabant, sanguinem gladiatorum, qui in arena vulnerabantur, avide bibebant, quia sanari posse opinabantur, simulque homines, qui in circo dimicabant, devorabant feras membris humanis saginatas.

(1) Cfr. TERTULL. *Apol.* 9. Alii apologistae et scriptores confirmant, quae Minucius habet de nefanda ethnicorum libidine.

(2) Cfr. TERTULL. *Apol.* 9. Habetur hic testimonium de castitate ab antiquis christianis iuxta consilium evangelicum servata. Cum

denique abest incesti cupido, ut nonnullis rubori sit etiam pudica coniunctio. Nec de ultima statim plebe consistimus, si honores vestros et purpuras recusamus, nec factiosi sumus, si omnes unum ⟨bonum⟩ sapimus eadem congregati quiete qua singuli, nec in angulis garruli, si audire nos publice aut erubescitis aut timetis. Et quod in dies nostri numerus augetur, non est crimen erroris, sed testimonium laudis; nam in pulchro genere vivendi et perstat et perseverat suus et accrescit alienus. Sic nos denique non notaculo corporis, ut putatis, sed innocentiae ac modestiae signo facile dignoscimus:(1) sic [nos] mutuo, quod doletis, amore diligimus, quoniam odisse non novimus: sic nos, quod invidetis, fratres vocamus, ut unius Dei parentis homines, ut consortes fidei, ut spei coheredes. Vos enim nec invicem agnoscitis et in mutua odia saevitis, nec fratres vos nisi sane ad parricidium recognoscitis.

XXXII. Putatis autem nos occultare quod colimus, si delubra et aras non habemus? quod enim simulacrum Deo fingam, cum, si recte existimes, sit Dei homo ipse simulacrum? templum quod ei exstruam, cum totus hic mundus eius opere fabricatus eum capere non possit? et cum homo latius maneam, intra unam aediculam vim tantae maiestatis includam? nonne melius in nostra dedicandus est mente? in nostro immo consecrandus est pectore? hostias et victimas Deo offeram, quas in usum mei protulit, ut reiciam ei suum munus? Ingratum est, cum sit litabilis hostia bonus animus et pura mens et sincera conscientia.(2) Igitur qui innocentiam colit, Deo suppli-

dicit: « fruuntur potius quam glo- « riantur », alludit Octavius ad virgines ethnicorum, quae magis gloriabantur, quam fruebantur castitate.

(1) Cfr. Tertull. *Apol.* 39. Carpocratiani in posteriore sectatorum suorum auriculae dexterae parte quamdam imprimebant notam, qua a ceteris hominibus discernebantur.

(2) Cfr. Cypr. *De idol. vanit.*, 9. Urgent hoc testimonium Protestantes, ut demonstrent primis Ecclesiae saeculis non fuisse templa, altaria, simulacra. Verum ex aliis

cat, qui iustitiam, Deo libat, qui fraudibus abstinet, propitiat Deum, qui hominem periculo subripit, [Deo] victimam caedit. Haec nostra sacrificia, haec Dei sacra sunt: sic apud nos religiosior est ille qui iustior. At enim quem colimus Deum, nec ostendimus nec videmus. Immo ex hoc Deum credimus, quod eum sentire possumus, videre non possumus. In operibus enim eius et in mundi omnibus motibus virtutem eius semper praesentem aspicimus, cum tonat, fulgurat, fulminat, cum serenat. Nec mireris, si Deum non vides: vento et flatibus omnia impelluntur, vibrantur, agitantur, et sub oculis tamen non venit ventus et flatus. In solem adeo, qui videndi omnibus causa est, videre non possumus, radiis acies submovetur, obtutus intuentis hebetatur, et si diutius inspicias, omnis visus exstinguitur. Quid? ipsum solis artificem, illum luminis fontem, possis sustinere, cum te ab eius fulgoribus avertas, a fulminibus abscondas? Deum oculis carnalibus vis videre, cum ipsam animam tuam, qua vivificaris, et loqueris, nec aspicere possis nec tenere? Sed enim Deus actum hominis ignorat et in caelo constitutus non potest aut omnes obire aut singulos nosse. Erras, o homo, et falleris: unde enim Deus longe est, cum omnia caelestia terrenaque et quae extra istam orbis provinciam sunt, Deo plena sint? Ubique non tantum nobis proximus, sed infusus est. In solem

scriptoribus evincitur adfuisse et templa (cfr. TERTULL. *De idol.* 7; *De virgin. veland.* 13; *De pudicitia* 4; CLEMENS ALEX. *Paedag.* III, 11) et altaria (cfr. TERTULL. *De orat.* 14; CYPR. *Ep. I ad Presbyter.*; *Ep. XLV ad Cornelium* etc.) et imagines (cfr. TERTULL. *De pudicitia*, 7, 10), Ouapropter verba Octavii sunt recte explicanda. Ait LE NOURRY: « Caecilius obiiciebat nulla chri« stianis quemadmodum gentilibus « fuisse falsorum deorum, sicut « templa, ita nec simulacra. Fa« tetur autem Minucius rem pro« fecto sic se habere. At quo« modo non negat iis fuisse alia « quam fictitiorum deorum templa, « ita etiam nec alia, quam ipso« rum ab illis facta simulacra infi« tiatur ». Ceterum cfr. PETAVIUS, *Theolog. Dogm.* XV, 11; THOMASSINUS, *Theolog. Dogm., De Incarnat.* XII, 7 sqq.

adeo rursus intende: caelo affixus, sed terris omnibus sparsus est: pariter praesens ubique interest et miscetur omnibus, nusquam eius claritudo violatur. Quanto magis Deus auctor omnium ac speculator omnium, a quo nullum potest esse secretum, tenebris interest, interest cogitationibus nostris, quasi alteris tenebris! Non tantum sub illo agimus, sed et cum illo, ut prope dixerim, vivimus. (1)

XXXIII. Nec nobis de nostra frequentia blandiamur: multi nobis videmur, sed Deo admodum pauci sumus. Nos gentes nationesque distinguimus: Deo una domus est mundus hic totus. Reges statum regni sua per officia ministrorum diversa noverunt: Deo indiciis opus non est: non enim solum in oculis eius, sed et in sinu vivimus. Sed Iudaeis nihil profuit, quod unum et ipsi Deum aris atque templis maxima superstitione coluerunt. Ignorantia laberis, si priorum aut oblitus aut inscius posteriorum recordaris. Nam et ipsi Deum nostrum, idem enim omnium Deus est, [experti sunt]: quamdiu enim eum caste, innoxie religioseque coluerunt, quamdiu praeceptis salubribus obtemperaverunt, de paucis innumeri facti, de egentibus divites, de servientibus reges: modici multos, inermi armatos, dum fugiunt insequentes, Dei iussu et elementis adnitentibus obruerunt. Scripta eorum relege, vel si Romanis magis gaudes, ut transeamus veteres, ⟨Flavi Iosephi vel⟩ Antonii Iuliani de Iudaeis require: iam scies, nequitia sua hanc eos meruisse fortunam, nec quidquam accidisse, quod non sit iis, si in contumacia perseverarent, ante praedictum. Ita prius eos deseruisse comprehendes quam esse desertos nec, ut impie

(1) Putant nonnulli Octavium respexisse ad *Act.* XVIII, 28; sed quoniam in tota disputatione nullum sacrae Scripturae testimonium affertur, res aliis scriptoribus incerta videtur. Nihil tamen prohibet, cum tanta sit affinitas etiam verbalis, quominus Octavius prae oculis habuerit conceptum Apostoli; sed quoniam philosophica doctrina erat, eam obiective exposuit, praecisione facta ab auctoritate sive Scripturae sive Apostoli.

loqueris, cum Deo suo captos, sed a Deo ut disciplinae transfugas deditos.

XXXIV. Ceterum de incendio mundi, aut improvisum ignem cadere aut difficile,(1) non credere vulgaris erroris est. Quis enim sapientium dubitat, quis ignorat, omnia quae orta sunt, occidere, quae facta sunt, interire? Caelum quoque cum omnibus quae caelo continentur, [ita ut caepit, si desierit] fontium dulcis aqua maria nutrire, in vim ignis abiturum, Stoicis constans opinio est, quod consumpto umore mundus hic omnis ignescat.(2) Et Epicureis de elementorum conflagratione et mundi ruina eadem ipsa sententia est(3) [similiter] loquitur Plato: partes orbis nunc inundare dicit, nunc alternis vicibus ardescere, et cum ipsum mundum perpetuum et insolubilem diceret esse fabricatum, addidit tamen, ⟨ipsi⟩ artifici ⟨Deo⟩ soli, et solubilem et esse mortalem. Ita nihil mirum est, si ista moles ab eo, quo exstructa est, destruatur.(4) Animadvertis philosophos eadem disputare quae dicimus, non quod nos simus eorum vestigia subsecuti, sed quod illi de divinis praedictionibus profetarum umbram interpolatae veritatis imitati sint.

Sic etiam conditionem renascendi sapientium clariores, Pythagoras primus et praecipuus Plato, corrupta et dimidiata fide tradiderunt: nam corporibus dissolutis solas animas volunt et perpetuo manere, et in alia nova corpora saepius commeare. Addunt istis et illa ad retorquendam veritatem, in pecudes,

(1) Locus corruptus est. Critici diversimode illum restituere conati sunt. Gronovius: *aut dissilire*; Oehler: *dissici illo*; Lindner: *difficulter aut plane non credere*; Halm: « possis etiam, cum verba « p. 15, 2 (XI) respiciantur, su« spicari *dirui illum*: verisimilius « tamen videtur quaedam inter« cidisse ».

(2) Cfr. CICER. *De natur. deor.* II, 46.

(3) Cfr. *Epist. Epicuri ad Pythoclem* apud DIOG. LAERT. *Vitae*, X, 88; PLUTARCH. *De placit. philos.* II, 4; LACTANTIUS, *Instit. div.* VII, 2, 3.

(4) Cfr. PLATO, *Tim.* 41; CLEMENS ALEX. *Strom.* V, 1; LACTANT. *Instit. divin.* VII, 1-3.

aves, belluas hominum animas redire. Non philosophi sane studio, sed mimi convicio digna ista sententia est: sed ad propositum satis est, etiam in hoc sapientes vestros in aliquem modum nobiscum consonare. Ceterum quis tam stultus aut brutus est, ut audeat repugnare, hominem a Deo, ut primum potuisse fingi, ita posse denuo reformari? nihil esse post obitum, et ante ortum nihil fuisse?(1) sicut de nihilo nasci licuit, ita de nihilo licere reparari? Porro difficilius est, id quod non sit incipere, quam id quod fuerit iterare. Tu perire et Deo credis, si quid oculis nostris hebetibus subtrahitur? Corpus omne sive arescit in pulverem, sive in humorem solvitur, vel in cinerem comprimitur, vel in nidorem tenuatur, subducitur nobis, sed Deo elementorum custodi reservatur. Nec, ut creditis, ullum damnum sepulturae timemus, sed veterem et meliorem consuetudinem humandi, frequentamus. Vide adeo, quam in solatium nostri resurrectionem futuram omnis natura meditetur. Sol [se mergit et renascitur], astra labuntur et redeunt, flores occidunt et reviviscunt, post senium arbusta frondescunt, semina nonnisi corrupta revirescunt: ita corpus in sepulcro, ut arbores in hiberno: occultant virorem ariditate mentita. Quid festinas, ut cruda adhuc hieme reviviscat et redeat? exspectandum nobis etiam corporis ver est. Nec ignoro plerosque conscientia meritorum nihil se esse post mortem magis optare quam credere: malunt enim exstingui penitus quam ad supplicia reparari. Quorum error augetur et in saeculo libertate remissa et Dei patientia maxima, cuius quanto iudicium tardum, tanto magis iustum est.(2)

XXXV. Et tamen admonentur homines doctissimorum

(1) « Nihil esse post obitum et « ante ortum nihil fuisse » glossema esse putabat Heumann; at sententia haec est: « hominem « (carnalem) ut nihil sit post obi- « tum, ita et ante ortum nihil « fuisse? Quod si de nihilo nasci « licuit, eundem de nihilo licere « reparari? Cfr. TERTULL. *Apol.* « 48 »; HALM.

(2) Cfr. TERTULL. *Apol.* 44, 46, 48.

libris et carminibus poetarum illius ignei fluminis et ⟨de Stygia palude⟩ saepius ambientis ardoris, quae cruciatibus aeternis praeparata et daemonum indiciis et de oraculis profetarum cognita tradiderunt. Et ideo apud eos etiam ipse rex Iuppiter per torrentes ripas et atram voraginem iurat religiose: destinatam enim sibi cum suis cultoribus poenam praescius perhorrescit. Nec tormentis aut modus ullus aut terminus. Illic sapiens ignis membra urit et reficit, carpit et nutrit. Sicut ignes fulminum corpora tangunt nec absumunt, sicut ignes Aetnaei ⟨montis⟩ et Vesuvii montis et ardentium ubique terrarum flagrant nec erogantur: ita poenale illud incendium non damnis ardentium pascitur, sed inexesa corporum laceratione nutritur. Eos autem merito torqueri, qui Deum nesciunt, ut impios, ut iniustos, nisi profanus nemo deliberat, cum parentem omnium et omnium dominum non minoris sceleris sit ignorare quam laedere. Et quamquam imperitia Dei sufficiat ad poenam, ita ut notitia prosit ad veniam, tamen si vobiscum christiani comparemur, quamvis in nonnullis disciplina nostra minor est, multo tamen vobis meliores deprehendemur. Vos enim adulteria prohibetis et facitis, nos uxoribus nostris solummodo viri nascimur: vos scelera admissa punitis, apud nos et cogitare peccare est: vos conscios timetis, nos etiam conscientiam solam, sine qua esse non possumus: denique de vestro numero carcer exaestuat, christianus ibi nullus nisi aut reus suae religionis aut profugus.

XXXVI. Nec de fato quisquam aut solatium captet aut excuset eventum: sit sors fortunae, mens tamen libera est, et ideo actus hominis, non dignitas iudicatur. Quid enim aliud est fatum quam quod de unoquoque nostrum Deus fatus est? qui cum possit praescire materiam, pro meritis et qualitatibus singulorum etiam fata determinat. Ita in nobis non genitura plectitur, sed ingenii natura punitur. Ac de fato satis, vel si pauca pro tempore, disputaturi alias et uberius et plenius. Ceterum quod plerique pauperes dicimur, non est infamia

nostra, sed gloria: animus enim ut luxu solvitur, ita frugalitate firmatur. Et tamen qui potest pauper esse qui non eget, qui non inhiat alieno, qui Deo dives est? Magis pauper ille est, qui cum multa habeat, plura desiderat. Dicam tamen quemadmodum sentio: nemo tam pauper potest esse, quam natus est. Aves sine patrimonio vivunt et in diem pascuntur: et haec nobis tamen nata sunt, quae omnia, si non concupiscimus, possidemus. Igitur ut qui viam terit, eo felicior quo levior incedit, ita beatior in hoc itinere vivendi, qui paupertate se sublevat, non sub divitiarum onere suspirat. Et tamen facultates, si utiles putaremus, a Deo posceremus: utique indulgere posset aliquantum cuius est totum. Sed nos contemnere malumus opes quam contingere, innocentiam magis cupimus, magis patientiam flagitamus, malumus nos bonos esse quam prodigos: et quod corporis, humana vitia sentimus et patimur, non est poena, militia est. Fortitudo enim [in] infirmitatibus roboratur et calamitas saepius disciplina virtutis est. Vires denique et mentis et corporis sine laboris exercitatione torpescunt: omnes adeo vestri viri fortes, quos in exemplum praedicatis, aerumnis suis inclyti floruerunt. Itaque et nobis Deus nec non potest subvenire nec despicit, cum sit et omnium rector et amator suorum, sed in adversis unumquemque explorat et examinat, ingenium singulorum periculis pensitat, usque ad extremam mortem voluntatem hominis sciscitatur, nihil sibi posse perire securus. Itaque ut aurum ignibus, sic nos discriminibus arguimur.

XXXVII. Quam pulchrum spectaculum Deo, cum christianus cum dolore congreditur, cum adversum minas et supplicia et tormenta componitur, cum strepitum mortis et horrorem carnificis irridens [auscultat], cum libertatem suam adversus reges et principes erigit, [et] soli Deo, cuius est, cedit, cum triumphator et victor ipsi, qui adversum se sententiam dixit, insultat! Vicit enim qui quod contendit, obtinuit. Quis non miles sub oculis imperatoris audacius periculum provocet?

Nemo enim praemium percipit ante experimentum. Et imperator tamen quod non habet, non dat: non potest propagare vitam, potest honestare militiam. At enim Dei miles nec in dolore deseritur nec morte finitur. Sic christianus miser videri potest, non potest inveniri. Vos ipsi calamitosos viros fertis ad caelum, Mucium Scaevolam, qui cum errasset in regem, perisset in hostibus, nisi dexteram perdidisset.(1) Et quot ex nostris, non dextram solum, sed totum corpus uri, cremari sine ullis eiulatibus pertulerunt, cum dimitti praesertim haberent in sua potestate! Viros cum Mucio vel cum Aquilio(2) aut Regulo(3) comparo? pueri et mulierculae nostrae cruces et tormenta, feras et omnes suppliciorum terriculas inspirata patientia doloris illudunt. Nec intelligitis, o miseri, neminem esse qui aut sine ratione velit poenam subire, aut tormenta sine Deo possit sustinere: nisi forte vos decipit, quod Deum nescientes divitiis affluant, honoribus floreant, polleant potestatibus.

Miseri! in hoc altius tolluntur, ut decidant altius. Hi enim ut victimae ad supplicium saginantur, ut hostiae ad poenam coronantur: in hoc adeo quidam imperiis ac dominationibus eriguntur, ut ingenium eorum perditae mentes li-

(1) Cfr. Liv. *Hist.* II, 12.

(2) Nonnulli locum corruptum existimantes corrigunt *Aquilium* in *Atilium* vel *Acilium*, de quo Dionysius Alicarn. *Antiq.* IV, 62. Sed quoniam Octavius de viris innocentissimis, qui vario suppliciorum dirissimorum genere occisi sunt, loquitur, Attilius autem, texte eodem Halicarnasseo, meritas criminis sui poenas persolvit. Le Nourry Marcium (Manium) Aquilium cogitat, quem Appianus crudelissimae morti traditum his verbis narrat: « Nec « multo post Marcium Aquilium, « legationis huius et belli auctorem « praecipuum, captum vinctumque « in asino circumvehebat, coactum « suapte voce apud spectatores pro- « clamare se esse Marcium, donec « Pergami aurum liquatum in os « eius infundit, corruptelas largi- « tionum exprobrans romano no- « mini » (*De bello Mithrid.* 21).

(3) Cfr. Cicer. *De offic.* I, 13; III, 26; *De finibus*, V, 28 sq.; Valer. Max. *Memor.* I, 1, 14. De utroque Scaevola et Regulo cfr. Tertull. *Apolog.* 50.

centia potestatis libere nundinentur. Absque enim notitia Dei quae potest esse solida felicitas, cum mors sit? Somnio similis antequam tenetur, elabitur. Rex es? sed tam times quam timeris, et quamlibet sis multo comitatu stipatus, ad periculum tamen solus es. Dives es? sed fortunae male creditur, et magno viatico breve vitae iter non instruitur, sed oneratur. Fascibus et purpuris gloriaris? Vanus error hominis et inanis cultus dignitatis, fulgere purpura, mente sordescere. Nobilitate generosus es? parentes tuos laudas? Omnes tamen pari sorte nascimur, sola virtute distinguimur. Nos igitur, qui moribus et pudore censemur, merito malis voluptatibus et pompis vestris et spectaculis abstinemus, quorum et de sacris originem novimus et noxia blandimenta damnamus. Nam in ludis curulibus quis non horreat populi in se rixantis insaniam? in gladiatoriis homicidii disciplinam? In scenicis etiam non minor furor et turpitudo prolixior: nunc enim mimus vel exponit adulteria vel monstrat, nunc enervis histrio amorem dum fingit, infigit: idem deos vestros induendo stupra, suspiria, odia dedecorat, idem simulatis doloribus lacrimas vestras vanis gestibus et nutibus provocat: sic homicidium in vero flagitatis, in mendacio fletis.

XXXVIII. Quod vero sacrificiorum reliquias et pocula delibata contemnimus, non confessio timoris est, sed verae libertatis assertio. Nam etsi omne quod nascitur ut inviolabile Dei munus nullo opere corrumpitur; abstinemus tamen, ne quis [nos] existimet aut daemoniis, quibus libatum est, cedere, aut nostrae religionis pudere. Quis autem ille qui dubitat, vernis indulgere nos floribus, cum carpamus et rosam veris et lilium et quicquid aliud in floribus blandi coloris et odoris est? His enim et sparsis utimur mollibus ac solutis et sertis colla complectimur. Sane quod caput non coronamus, ignoscite: auram bonam floris naribus ducere, non occipitio capillisve solemus haurire. Nec mortuos coronamus. Ego vos in hoc magis miror, quemadmodum tribuatis exanimi aut

sentienti facem aut non sentienti coronam, cum et beatus non egeat et miser non gaudeat floribus. At enim nos exsequias adornamus eadem tranquillitate qua vivimus, nec annectimus arescentem coronam, sed a Deo aeternis floribus vividam sustinemus: quieti, modesti, Dei nostri liberalitate securi spem futurae felicitatis fide praesentis eius maiestatis animamus. Sic et beati resurgimus, et futuri contemplatione iam vivimus. Proinde Socrates scurra Atticus[1] viderit, nihil se scire confessus, testimonio licet fallacissimi daemonis gloriosus, Arcesilas quoque et Carneades et Pyrro et omnis Academicorum multitudo deliberet, Simonides etiam in perpetuum comperendinet: philosophorum supercilia contemnimus, quos corruptores et adulteros novimus et tyrannos et semper adversus sua vitia facundos. Nos, [qui] non habitu sapientiam sed mente praeferimus, non eloquimur magna sed vivimus, gloriamur nos consecutos quod illi summa intentione quaesiverunt nec invenire potuerunt. Quid ingrati sumus, quid nobis invidemus, si veritas divinitatis nostri temporis aetate maturuit? Fruamur bono nostro et recti sententiam temperemus: cohibeatur superstitio, impietas expietur, vera religio reservetur.

XXXIX. Cum Octavius perorasset, aliquandiu nos ad silentium stupefacti intentos vultus tenebamus, et quod ad me est, magnitudine admirationis evanui; quod ea, quae facilius est sentire quam dicere, et argumentis et exemplis et lectionum auctoritatibus adornasset, et quod malevolos isdem illis quibus armantur, philosophorum telis retudisset, ostendisset etiam veritatem non tantummodo facilem sed et favorabilem.

XL. Dum istaec igitur apud me tacitus evolvo, Caecilius erupit: Ego Octavio meo plurimum quantum, sed et mihi gratulor nec exspecto sententiam. Vicimus et ita: vel improbe usurpo victoriam. Nam ut ille mei victor est, ita ego trium-

(1) Socrates *scurra Atticus* a Zenone appellatus est. Cfr. Cicer. *De natur. deor.* I, 34.

phator erroris. Itaque quod pertineat ad summam quaestionis, et de providentia fateor et [de] Deo [cedo] et de sectae iam nostrae sinceritate consentio. Etiam nunc tamen aliqua consubsidunt non obstrepentia veritati sed perfectae institutioni necessaria, de quibus crastino, quod iam sol occasui declivis est, ut de toto congruentes promptius requiremus. At ego, inquam, prolixius omnium nostrum vice gaudeo, quod etiam mihi Octavius vicerit, cum maxima iudicandi mihi invidia detracta sit. Nec tamen possum meritum eius verborum laudibus repensare: testimonium et hominis et unius infirmum est: habet Dei munus eximium, a quo et inspiratus oravit et obtinuit adiutus.

Post haec laeti hilaresque discessimus, Caecilius quod crediderit, Octavius gaudere quod vicerit, ego et quod hic crediderit et hic vicerit.

# Q. SEPT. FLOR. TERTULLIANI

# APOLOGETICUM

# PROLEGOMENA

## I.

### Notitiae biographicae
### Quinti Septimii Florentis Tertulliani.

Quintus Septimius Florens Tertullianus natus est Carthagine circa a. 160 ex patre centurione exercitus Romanorum. Acerrimo ingenio praeditus animoque ardenti, liberaliter educatus est. Praeter latinas et graecas litteras, iuris disciplinam adeo excoluit, ut ab Eusebio (*Hist. Eccl.* II, 2) «vir legum romanarum peritissimus» appellaretur. Hinc verisimile est eum causidici munus in tribunalibus obiisse.

In vita Tertulliani quatuor phases discernuntur: *ethnicismus, christianismus, montanismus* et *tertullianismus*; limites tamen, quibus singulae circumscribuntur, rigorose determinari nequeunt. Tertullianus ex patre ethnico natus, ethnicus cum opinionibus, tum etiam, ut videtur, moribus adolescentiam transegit. Progrediente vero aetate, numinum superstitionem reiecit, et christianae religioni nomen dedit. Quo tempore et ex qua-

nam causa id acciderit, haud certo cognoscitur; videtur tamen constantia heroica christianorum, qui supplicia omnia pro Christi amore tolerabant, in ipso Tertulliano celeberrimam eius sententiam confirmasse: « semen est sanguis christianorum » (*Apol.* L). Res evenisse putatur post a. 190.

Tertullianus, christianus factus, ad sacerdotium etiam, licet matrimonio iunctus, promotus est. Sic totus Deo et Christo dicatus, praeclaras ingenii sui vires in bonum christianae religionis impendit; et mirum sane est quanta animi libertate romanos persecutores increpaverit, quanta eruditione iura legitima vindicaverit. Tanta erga Ecclesiam devotio fausta quaeque portendebat, nisi in animo Tertulliani nimiae severitatis semina latuissent. Aptam deficiendi occasionem praebuerunt grassantes tunc Montanistarum errores. Tertullianus, ingenio suo indulgens, ad eorum agmina transiit.

Quo tempore infelix casus evenerit certo designari nequit; videtur circa a. 202. Ex Hieronymi testimonio (*De viris illustr.* 53) causa ex conviciis, quibus clerici romani Tertullianum Romae commorantem aggressi sunt, esset repetenda. Verum haec per invidiam Hieronymus protulisse videtur, cum non ex conflictu haeresis, sed ex haeresi conflictus derivaverit. Tertullianus enim iam imbutus opinionibus Montanistarum, palam eas manifestavit. Hinc orta dissensio cum clero romano.

Per illud tempus, quo inter Montanistas puros remansit, Tertullianus ingenii sui vires ad errores illustrandos et confirmandos contulit. Plura sunt scripta, quae ad hanc periodum referuntur. Verum mobilitate animique inclinatione ductus, in sinu ipsius Montanismi novam sectam instituit, quae ab auctore Tertullianistarum nomen accepit. S. Augustinus nobis testatur iam saec. v ineunte in urbe Carthaginiensi quosdam exstitisse, qui Tertullianistarum placita profitebantur.

Tertullianus ad provectam usque aetatem, sicut ex testimonio Hieronymi deducitur (*De vir. ill.* 53) pervenit, fortassis usque ad medium saec. III, c. a. 220. De ratione qua vitam absolvit, saepius dictum est Tertullianum ad Ecclesiam rediisse; sed licet S. Cyprianus paulo post maximi eum fecerit eique Ecclesia peculiarem aestimationem tribuerit, tamen documenta desunt, quibus coniectura, omnibus Catholicis carissima, demonstretur.

## II.

### De operibus Q. Septimii Florentis Tertulliani.

Cum graecae et latinae linguae esset peritus, Tertullianus plura opera utroque sermone conscripsit, ex quibus tamen nonnisi latina ad nos usque pervenerunt. Quo facilius omnia compre-

hendantur, in tres classes a criticis dividuntur, quae *apologetica*, *polemica* et *moralia* singillatim continent. Inter ea vero partim ad periodum *catholicam*, partim ad *montanisticam,* si chronologiae ratio habeatur, referuntur.

Ad primam classem, quae *apologetica* continet, pertinent: *Ad nationes*, *Apologeticum adversus gentes pro christianis*, *De testimonio animae adversus gentes*, *Ad Scapulam*, *Contra Iudaeos*, quae omnia, praeter librum *Ad Scapulam*, a Tertulliano catholico exarata sunt. Opus *Ad nationes* duobus libris continetur, quibus auctor et religionem christianam defendit et deorum cultum exagitat, praesertim altero libro, quo nullos esse ethnicorum deos demonstrat. Sicut ex ipso titulo eruitur, ad gentiles populos mittebatur, atque aestate a. 197 prodiisse videtur. Paucis post mensibus Tertullianus edidit *Apologeticum,* qui diversimode ac opus antecedens, « ad Romani Imperii antistites » dirigebatur. Constat 50 capitibus, quibus non iuxta principia philosophica, quemadmodum ceteri apologistae et graeci et latini fecerant, sed iuxta principia iuridica christianos defendit. *Apologeticum* scriptum est sub finem saec. II, cum nova et cruenta persecutio oriebatur; probabiliter autumno a 197. Tantam inde ab initio aestimationem apud christianos obtinuit, ut maturius in graecum sermonem (ex opinione Harnack a Iulio Africano) translatus sit. Inter argumenta, quae Tertullianus in

*Apologetico* (XVII) attulerat, erat animae testimonium pro religione christiana. Ipsum constituit subiectum aurei illius opusculi *De testimonio animae.* Haec opera generalem characterem praeseferunt; epistola *ad Scapulam*, proconsulem Africae (211–213 circiter iuxta sententiam J. Schmidt) peculiarem respicit personam. Cum saevissima quaelibet tormenta contra christianos iniquus iudex decerneret, Tertullianus a. 212 parvum illum libellum scripsit, in quo argumenta *Apologetici* et *Ad nationes* breviter collegit, divinamque iustitiam proconsuli comminatus est.

Praeter apologiam contra paganos, etiam apologiam contra Iudaeos Tertullianus pro ratione temporum excoluit. Ad hoc genus litteraturae pertinet opus *Contra Iudaeos*, in quo sub forma dialogica inducitur christianus cum proselyta Iudaeorum disputans circa relationes inter Ecclesiam et Synagogam, atque prophetias omnes messianicas in Christo impletas fuisse probatur.

Altera classis opera *polemico–theologica* complectitur. Ex his contra haereticos generatim *De praescriptione haereticorum* habetur; cetera contra haereticos peculiares diriguntur: *De baptismo* contra Gaianitas, *Contra Hermogenem*, *De censu animae* pariter contra Hermogenem, *Contra Valentinianos*, *Contra Marcionem*, *De anima* contra Gnosticos, *De carne Christi* contra Gnosticos Marcionem, Apellem, Valentinum et Alexandrum, *De*

*resurrectione carnis* item contra Gnosticos, et *Contra Praxeam*. Si excipiantur priora duo opera *De praescriptione* et *De baptismo*, cetera a Tertulliano montanista fuerunt composita. Inter omnia eminet tractatus *De praescriptione*. Tertullianus unico ictu haereses omnes convellit cum veram Christi doctrinam ex ecclesiis apostolicis desumendam esse contendit. Duplex est huius principii fundamentum: Christi doctrina apostolis tradita est et ab apostolis ecclesiis relicta; veritas prioritatem sibi vindicat, mendacium vero posterioritatem tenet. Tertullianus haereticos omnes hoc argumento confundit, quia eorum doctrina neque ab ecclesiis apostolicis neque prioritatis charactere obsignabatur, vocabuloque iuridico illud *praescriptionem* appellat, quo nomine Romani designabant exceptionem a patrocinatore contra actorem obiectam, quae si vera a iudice agnoscebatur, tantam vim habebat, ut actionem in perpetuum exstingueret. Opus constat 44 capitibus; exaratum est cum Tertullianus erat adhuc catholicus, sed quo anno, ignoratur. Quamvis lib. III S. Irenaei *Adversus haereses* imaginem referat, proprium tamen scriptoris characterem evidenter manifestat. In tractatu *De baptismo* Tertullianus doctrinam catholicam contra Gaianitas defendit circa naturam, effectus, necessitatem huius sacramenti. In libro *Contra Hermogenem* (45 cap.), Hermogenem praesertim, carthaginiensem pictorem aggreditur, qui aeternita-

tem materiae docebat proindeque mundi creationem denegabat. Contra eundem Hermogenem scripsit opus, nunc deperditum, *De censu animae*, in quo errorem circa originem animae humanae refellit, quo scilicet, « non ex Dei flatu, sed ex materiae « potius suggestu » derivare asserebatur. Disputatio *Contra Valentinianos* (39 cap.), duce S. Irenaeo, errores Gnosticorum diluit (cfr. *Adversus haereses*, lib. I). Maioris momenti est opus *Contra Marcionem*. Quinque continet libros. Auctor tribus prioribus doctrinam de unitate Dei Veteris et Novi Testamenti defendit; duobus reliquis canonem Scripturarum, quem Marcio confecerat respuit, diluitque ἐναντιοφανίας inter Legem et Evangelium. Ex quinque hisce libris, primus in sua forma originaria ad nos non pervenit. Cum enim Tertullianus praepropere eum exarasset, novam redactionem confecit; sed vix fuerat absoluta, cum manuscriptum ablatum est; ideoque tertia editio prodiit circa a. 207, quae a nobis possidetur. Tractatus *De anima* Gnosticos respicit. Tertullianus (58 cap.) doctrinam Gnosticorum refutat; nonnullos tamen errores circa animae naturam et originem inducit. In opere *De carne Christi* (24 cap.), auctor contra plures Gnosticos docet carnem Christi fuisse realem et humanam; sed Christum deformem facit. Etiam tractatus *De resurrectione carnis* contra Gnosticos editus est. Tertullianus 63 capitibus, ex quibus prima pars

(III–XVII) cum Athenagora affinitate coniungitur, et difficultates contra resurrectionem solvit, et argumentis ex Scriptura depromptis magna cum eloquentia veritatem dogmatis illustrat et confirmat. Denique in libro *Contra Praxeam* (31 cap.) Trinitatem divinarum personarum a Patripassianis impugnatam acriter defendit.

Postrema classis, quae in operibus Tertulliani adsignatur, *moralia* comprehendit; ex quibus ante Montanismum scripta sunt: *Ad martyres*, *De spectaculis*, *De idololatria*, *De cultu feminarum*, *Ad uxorem*, *De poenitentia*, *De oratione*, *De patientia*; post lapsum in Montanismum, *De velandis virginibus*, *Exhortatio ad castitatem*, *De pallio*, *De pudicitia*, *De monogamia*, *De ieiunio*, *De corona militis*, *De fuga*, *Scorpiace*. Exhortatio *Ad martyres* (6 cap.) scripta est eodem tempore ac *Apologeticum*. Tertullianus captivos christianos adhortatur ad fortitudinem et constantiam, ut Christi palmam mereantur. Opuscula *De spectaculis* (30 cap.) et *De idololatria* (24 cap.) questionem moralem eo tempore agitatam de relationibus inter christianos et societatem ethnicorum rigoristice resolvunt. In duobus libris *De cultu feminarum* (9 in primo, 13 capita in altero) luxuriam ornamentorum Tertullianus flagellat. Duos libros, quorum singuli 8 capita continent, ipse scripsit *Ad uxorem*, in quibus eam hortatur, ne ad alias nuptias, si forte ante illam moriatur, convolet; vel saltem, ut viro

christiano nubat. Opus *De poenitentia* (cap. 12) in eo versatur, ut duplicem poenitentiarum classem exhibeat; quarum aliae cathecumenis pro peccatis ante baptismum commissis infligebantur, aliae seu poenitentiae canonicae, christianis, qui crimen aliquod capitale, adulterium nempe, vel homicidium, vel idololatriam patraverant, imponebantur, ut denuo in Ecclesiae communionem admitterentur. Libellus *De oratione* (22 cap.) initio continet explicationem orationis Dominicae; postea diversas normas universales tradit circa orationem. Denique in tractatu *De patientia* (16 cap.) Tertullianus « satis temere, si non etiam impudenter », sicut ipse fatetur, valorem huius virtutis illustrat, contentus saltem, quod alii, ipso auctore beatiores, iracundi viri exhortationibus sibi illam acquirant.

Progredientes ad opera, quae post lapsum in Montanismum prodierunt, invenimus in primis, quod *De velandis virginibus* inscribitur. Tertullianus (17 cap.) feminis omnibus adolescentulis, etiamsi Deo sint consecratae, interdicit, ne in Ecclesia sine velo appareant. In *Exhortatione* vero *ad castitatem* (13 cap.) sicut in *De monogamia* secundas nuptias vehementer damnat, nec aliud dicendum esse secundum matrimonium contendit, quam speciem stupri. Succedit opus *De pallio* (6 cap.). Quoniam Tertullianus iure civium romanorum fruebatur, togam gerere solebat; sed quodam die, qua de causa ignoratur, pallium, quod

philosophi induebant, accepit. Res nova et miranda acerba dicteria civium excitavit; quibus indignatus, Tertullianus sui apologiam descripsit et in adversarios contumelias proiecit. Opus *De pudicitia* (22 cap.) contra Zephirini Pontificis sententiam circa absolutionem adulterorum dirigitur. Rigidus Montanista denegat Ecclesiae potestatem mortalia remittendi peccata, praesertim quae contra castitatem committuntur. Fere eodem tempore, scripsit Tertullianus contra Psychicos, quo nomine Catholicos designat, opus *De ieiunio* (17 cap.) ubi ieiunia Montanistarum vehementer exaltat et Catholicorum disciplinam iniuriose deprimit. Videtur refutare opus quoddam Romae editum ab auctore, qui Callisti partes tenebat, fortassis etiam ab ipso Callisto. Cfr. E. Rolffs in *Teste und Unters.* von Gebhardt und Harnack, 13, 4. Argumentum libelli *De corona militis* (15 cap.) Tertulliano suppeditavit miles ille christianus, qui ad donativum recipiendum vocatus, lauream coronam non in capite sed manu detulerat, ne idololatriae actum committeret. Cum interrogatus esset, quare insolita ratione se gereret, respondit se esse christianum. Tunc in vinculis coniectus, ad martyrium faciendum animum parabat. Zelum illum intempestivum fideles omnes reprobarunt, sed Tertullianus pro suo ingenio ad sidera extulit. Ad eandem classem operum, quae relationes inter societatem ethnicam et religiosam respiciunt, pertinet

opusculum *De fuga.* Auctor iisdem criteriis austeris contra sententiam doctorum catholicorum prohibet fugam tempore persecutionis. Denique *Scorpiace* contra laxas Gnosticorum doctrinas Tertullianus adhibet, ut medelam vulneribus, quae a recentioribus illis scorpionibus hominibus inferebantur, provideat. Nomen enim Scorpiace nihil aliud significat, quam remedium contra morsus scorpionum.

Praeter opera, quae hucusque recensuimus, alia conscripta sunt a Tertulliano, quae decursu temporum perierunt. Talia sunt: *De spe fidelium* (cfr. *Adv. Marc.* III, 24), *De censu animae adversus Hermogenem* (cfr. *De anim.* 1), *De fato*, (cfr. *De anim.* 20), *De Paradiso* (cfr. *De anim.* 4), *Adversus Apellicianos* (cfr. *De carn. Chr.* 8), *De ecstasi seu* Περὶ ἐκστάσεως (cfr. Hieron. *De vir. ill.* 53, 60), *De Trinitate* (cfr. Hieron. op. c. 70), *De malis matrimonii* (cf. Hieron. *Ep. XXII ad Eustoch.* 22), *De vestibus Aaron* (cfr. Hieronym. *Ep. LXIV ad Fabiolam*). Quaedam etiam ex operibus quae supersunt, in graecam linguam fuerunt translata, sicut *De spectaculis* (cfr. *De coron. milit.* 6), *De baptismo* (cfr. *De baptism.* 15), *De velandis virginibus* (cfr. *De vel. virgin.* 1); sed interpretationes illae ad nos non pervenerunt. Contra nonnulla scripta sub nomine Tertulliani asservantur, quae a criticis iudicantur apocrypha, ut *Libellus adversus omnes haereses*, fragmentum operis

*De exsecrandis gentium diis*, ac nonnulla carmina, ex quibus memorandum *Carmen contra Marcionem* seu *contra Marcionitas*, quod saec. IV compositum videtur. Si vera est sententia, quae tenet eundem esse Tertullianum nostrum et Tertullianum iurisperitum, quemadmodum nonnulli critici arbitrantur, litteraturae Tertullianeae accensenda sunt quae in Pandectis sub nomine Tertulliani exhibentur (cfr. *Quaestionum libri VIII. De castrensi peculio*).

## III.

### Valor litteraturae Tertullianeae.

Sola enumeratio operum, quae Tertullianus conscripsit, aperte demonstrat, quanta fuerit illius viri fecunditas, qui diversi ordinis argumenta audacter tractare non dubitavit. Quod ad dicendi genus pertinet, polemicum omnino praevalet; nec mirum, cum Tertulliani ingenium certamini natum, quamvis hostes mutaverit, pugnam tamen ad vitae finem numquam intermisit. Stilus eloquens est, nec vacuus, cum et sententiis creber et subtilitate disserendi validus et eruditione omnimoda exornatus reluceat. Grave tamen vitium sermonis formam corrumpit; aliter enim ac Minucius Felix, quem vidimus Ciceronis elegantiam aemulari, Tertullianus lumina praecipua orationis negligit, nova

vocabula excudit, contortos verborum ambitus diligit. Non levis exinde obscuritas, quae expungi nequit nisi, praeter adnotationes exegeticas, attenta saepiusque repetita cogitatio adhibeatur. Tantus labor non erit tamen sine fructu; nam omnia Tertulliani opera sive ante sive post lapsum in Montanismum exarata, uberrimam doctrinae copiam exhibent, quae religioni christianae tum historice tum dogmatice illustrandae incrementum affert.

Nostrum non est singulas expendere utilitates, quae ex operibus Tertulliani derivari possunt, neque integram theologiae Tertullianeae expositionem tradere. Adhuc etiam desideratur opus peculiare, quod doctrinas omnes recentiori via et ratione simul expendat et coniungat. Pro re nostra satis erit, si praecipua tantum attigerimus, ut notitia saltem generalis prae oculis habeatur. A Deo igitur exordientes, Tertullianum invenimus contra Gnosticos, qui dualismum profitebantur, unitatem Dei valide vindicasse. Ipse argumentabatur tum ex absoluta Dei perfectione (*Adv. Marc.* I, 3, 5, 6), tum ex testimonio conscientiae humanae (*Adv. Marc.* I, 10; *Apol.* 17). Erravit tamen circa divinam naturam; nam sive ob inclinationem realisticam sui intellectus, sive ob conditiones polemicas contra Gnosticos, qui corpora a principio malo derivabant, singularem opinionem inter Patres edidit, qua Deo corporeitatem attribuit (cfr. *De poenit.* 3; *Adv. Hermog.* 35; *De carne Chr.* 2;

*Adv. Marc.* II, 16; *Adv. Prax.* 7). Verum quidem est S. Augustinum eum excusasse, explicans corporeitatem Tertulliani pro substantialitate; quasi timuisset « ne Deus nihil esset, si corpus non esset »; sed nisi verba Tertullianum prodiderunt, benignior videtur interpretatio, quia praeter substantialitatem, sensibilitas etiam et materialitas divinae naturae tribuitur (cfr. *De testim. anim.* 2; *De anim.* 16; *Adv. Marc.* I, 26; II, 10; IV, 15, 31). Nec sufficit; nam etiam circa Trinitatem Tertullianus vera falsis admiscuit; vera quidem, quia contra Modalismum patripassianum, quo Trinitas destruebatur, tres in Deo esse personas, Patrem et Filium et Spiritum Sanctum, inter se realiter distinctas docuit, quin imo ipsam vocem *trinitatem* primus invexit (cfr. *De pudic.* 21); falsa vero, quia ad conciliandam doctrinam de trinitate cum unitate Dei, subordinatianismum Filii a Patre, quantum ex verbis saltem deducitur, quodammodo asseruit (cfr. *Adv. Prax.* 6–9; *Adv. Marc.* III, 6).

Ad Christologiam progredientes, plura a Tertulliano apprehendimus. Humanitatem Christi Gnostici-Docetae contendebant fuisse mere apparentem, ideoque realitatem passionis pariter negabant. Tertullianus veram doctrinam vindicat (*Adv. Marc.* III, 8; *De carn. Chr.* 4, 5). Similiter, quod fundamentale est in mysterio Incarnationis, ipse unitatem personae, quae in duabus naturis integris divina et humana in Christo subsistat,

aperte docet (*Adv. Prax.* 27). Quo facilius vero possibilitatem Incarnationis suadeat, auctor noster in memoriam revocat vetustas angelorum apparitiones, cum sub formis humanis hominibus se ostendebant (*De carn. Chr.* 3).

Cum Incarnatione arctissime connectitur Mariologia. Iam Tertullianus ex sua doctrina de realitate humanitatis Christi, divinam Mariae maternitatem logice infert, eamque contra Docetas defendit, qui pro sua theoria de apparenti Christi humanitate logice pariter divinam Mariae maternitatem denegabant. Circa virginitatem vero Tertullianus haud in omnibus cum doctrina catholica consensit; nam admisit quidem virginitatem Deiparae ante partum contra Ebionitas (*De carn. Chr.* 7); sed sive in partu sive post partum eam negasse videtur, quamquam a quibusdam excusatur (cfr. *De carn. Chr.* 4, 7, 19, 20, 23; *Adv. Marc.* III, 11; IV, 21; V, 19; *De veland. virgin.* 6; *De monog.* 8).

Alios errores invexit Tertullianus in disciplinas anthropologicas et psychologicas. Licet enim admisisset et libertatem voluntatis humanae (*Adv. Marc.* II, 5, 6) eiusque limitatione peccatum explicasset (*Adv. Marc.* II, 7), tamen tendentia illa realista seductus, qua corporeitatem quamdam Deo tribuerat, etiam animam humanam corpoream dixit (cfr. *Apol.* 48; *De anim.* 5–9, 22, 36–37; *De carn. Chr.* 11; *De resurr. carn.* 17, 45, 53; *Adv. Marc.*

V, 10, 15; *De anim.* 11). Qua theoria statuta, facile intelligitur quomodo ipse Tertullianus ad originem animae humanae explicandam Traducianismum materialisticum docuerit (cfr. *De anim.* 9, 19, 22, 27, 36–37), et per eundem Traducianismum propagationem peccati originalis in posteros Adae illustraverit (*De testim. anim.* 3; *De anim.* 16). Quoniam vero peccatum originale fatebatur, iam statum iustitiae originalis per gratiam sanctificantem Adae collatum includebat; errabat tamen a veritate, cum hominem in infantia creatum a Deo asserebat et pudorem protoparentum, quum post peccatum nuditatem cognoverunt, ex aetate pubertatis, quam eo tempore attigissent, repetit. Doctrina de propagatione peccati originalis cum sacramento baptismatis colligatur; hinc Tertullianus eius necessitatem diserte inculcat in opere *De baptismo,* sed praecurrit Agrippino et Cypriano ceterisque episcopis Asiae, Cappadociae, Africae, cum haereticos rebaptizandos decernit (cfr. *De praescript. haeret.* 12; *De baptism.* 15; *De pudicit.* 19). Praesentis vitae gratia in gloria post corporum resurrectionem consummatur. Iam Tertullianus praeclara quidem docet de resurrectione mortuorum, quorum corpora identica simul et integra renascentur; sed neque argumentum a vitio immune, quia Millenarismum seu Chiliasmum mitigatum docuit (cfr. *De resurr. carn.* 25; *Adv. Marc.* I, 29; III, 24; IV, 29), et iustorum animas in sinu Abrahae sub altari seu

in loco caelesti retineri opinatus est, usque ad diem iudicii (cfr. *Apol.* 47; *De anim.* 7, 9, 55-56, 58; *De resurr. carn.* 17; *Adv. Marc.* III, 34; *Scorp.* 12).

Ethica Tertulliani plus aequo, ut Montanismus ferebat, rigidior est. Secundas nuptias damnat tamquam stupra (cfr. *Ad uxor.* I; *De veland. virg.* 10, 11; *Adv. Hermog.* 11; *De resurr. carn.* 8; *Adv. Marc.* I, 15; *De exhort. ad castit.*; *De monogamia*; *De pudicitia*); poenitentiam crimine fornicationis inquinatis denegat (cfr. *De pudicitia*); duas quadragesimas necessarias asserit (cfr. *De ieiunio contra Psychicos* seu Catholicos); fugam denique in persecutione illicitam declarat (cfr. *Ad uxor.* I, 3; *De coron. milit.* 1; *De fuga*). Spiritus exaggeratus Tertulliani, iam natura propensus, sphaeram sibi aptam in pseudo–austeritate Montanismi invenit.

Manet ut quaedam dicamus de Ecclesia. Tertullianus montanista eam esse dixit in tribus, etiam laicis (cfr. *De exhort. ad castit.* 7; *De pudicit.* 21); tres illi erant Montanus, Priscilla et Maximilla; nec mirum, cum Montanum Paracletum appellaverit (cfr. *De veland. virgin.* 1; *De anim.* 51, 58; *De resurr. carn.* 11, 63; *Adv. Marc.* I, 29; V, 2; *Adv. Prax.* 1, 8, 13, 15; *De monogam.* 2). Praeclaras tamen veritates Catholicus docuerat. Certitudo enim religiosa auctoritate externa est acquirenda; auctoritas traditionis Ecclesiis apostolicis competit, quae thesaurum revelationis ab ipsis Christi auditoribus acceptum custodiunt; inter ec-

clesias vero eminet Romana, ad quam propter « potentiorem principalitatem necesse est omnem « convenire ecclesiam », ut Irenaeus dixerat. Tertullianus erroribus haereticorum indignatus, qui Scripturas false scrutando a veritate aberraverant, adeo urget principium magisterii ecclesiastici et traditionis ecclesiarum, ut videatur ipsam Scripturam sacram aliquando contemnere. Sed licet ipse Scripturam tamquam fidei regulam absolutam reiciat, tamen acceptat eam ut normam. Criterium igitur quod Protestantes saec. XVI proclamarunt, pluribus ante saeculis a Tertulliano fuerat refutatum in opere *De praescriptione haereticorum.*

Tertullianus ob iudicium latum in Decreto Gelasiano media aetate in oblivionem lapsus est; sed sive aetate moderna sive antiqua maximam existimationem obtinuit. Vincentius Lirinensis postquam eum laudibus cumulavit, principem inter latinos scriptores, non secus ac Origenem inter graecos appellat. « Quid », inquit, « hoc viro doctius? « quid in divinis atque humanis rebus exercitatius?... Cuius quot paene verba tot sententiae « sunt; quot sensus, tot victoriae » (*Common.* 18). Etiam alii scriptores, ut Arnobius, Lactantius, Hieronymus, eum magni faciunt; non omittunt tamen vitia sermonis, quibus difficultas legentibus haud levis producitur. Ipse Lirinensis Montanistarum haeresim, ad quam Tertullianus defecit respiciens, eum appellat *magnam tentationem inter Latinos.*

Praeterire tamen non possumus solemnia S. Cypriani verba, qui, teste Hieronymo, quotidie Tertullianum legens, cum librum postulabat, « da ma- « gistrum » aiebat. Tanta erat admiratio quam erga illustrem Carthaginiensem presbyterum episcopus Carthaginiensis fovebat, nec immerito, quia Tertulliani opera, si montanistica vel erronea placita excipiantur, mentem nutriunt, animum erigunt fervidumque africanum spiritum legentibus communicant.

# BIBLIOGRAPHIA

**Editiones completae.** Adnotandae precipue B. Rhenanus, Basil. 1521; Martin Mesnart, Paris, 1545; J. Pamelius, Antwerpen, 1579; N. Rigaltius, Paris, 1634; J. S. Semler, Halle, 1679-1776, 6 vol.; Fr. Oberthur, qui reproduxit opus Semler, Wurzbourg, 1780, 2 vol.; Migne, *P. lat.* I-II, Paris, 1844; Fr. Öhler, Leipzig, 1853-54, 3 vol. Quae vero sub auspiciis Academiae Vindobonensis cura A. Reifferscheid edi coepta est a G. Wissowa continuatur. Pars I, Vindob. 1890 (*Corpus script. eccl. lat.* XX).

**Editiones partiales.** *Apologeticum*: S. Haverkamp, Leiden, 1718; J. Kayser, Paderbon, 1865; H. Hurter, Insbruck, 1872 (*Ss. Patrum opusc. select.* XIX); F. Léonard, Namur, 1881; T. H. Bindley, London, 1889. *De praescriptione*: Routh (*Script. eccl. opusc.*) t. I, Oxford, 1832, 3ª edit. 1858; H. Hurter (*Ss. Patr. opusc. sel.*) IX, 1870, 1880; E. Preuschen, Freiburgi, 1892; T. H. Bindley, Oxford, 1894. *De oratione* et *Libellus adversus omnes haereses*; Routh, Oxford, 1832, 3ª edit. 1858. *De oratione, De poenitentia, Ad martyres*: H. Hurter, Freiburg, t. II, IV, V. *De poenitentia* et *De pudicitia*: E. Preuschen, Freiburg, 1891. *De spectaculis*: Klussmann, Leipzig, 1876. *De pallio*: Salmasius (Saumaise), Paris, 1622 et Leyde, 1656.

**Monographiae.** I. A. W. Neander, *Antignostikus. Geist des Tertullianus und Einleitung in dessen Schriften*, Berlin, 1825. —

Fr. A. von Besnard, *Tertullians sämtliche Schriften übersetzt und bearbeitet*, Augsburg, 1837-38. — E. Freppel, *Tertullien*, Paris, 1864, 2 vol. — Fr. Böhringer, *Die Kirche Christi und ihre Zeugen III, IV*; *Die lateinisch-afrikanische Kirche, Tertulliens, Cyprianus*, Stuttgart, 1864. — R. A. Lipsius, *Über Tertullians Schrifte wider Praxeas* in *Jahrbb. f. deutsche Theol.* XIII, 1868. — H. Kellner *Tertulliens ausgewählte Schriften übersetzt*, Kempten, 1870-71, 2 vol. — H. Ronsch, *Das Neue-Testament Tertulliens, aus dessen Schriften möglichst vollständigrekonstruiert*, Leipzig, 1871. — C. L. Leimbach, *Beiträge zur Abendmahlslehre Tertullians*, Gotha, 1874. — G. Caucanas, *Tertullien et le Montanisme*, Génève, 1876. — G. R. Hauschild, *Die Grundsätze und Mittel der Wortbildung bei Tertullian*; I, Leipzig, 1876; II, Frankfurt a. M., 1881. — J. P. Condamin, *De Q. Sept. Fl. Tertulliano vexatae religionis patrono et praecipuo, apud Latinos, christianae linguae artifice*, Barriducis, 1877. — A. Hauch, *Tertullians Leben und Schriften*, Erlangen, 1877. — A. Harnack, *Zur Chronologie der Schriften Tertullians* in *Zeitschr. f. Kirchengesch.* II, 1877-78. — G. R. Bonwetsch, *Die Schriften Tertullians nach der Zeit ihrer Abfassung untersucht*, Bonn, 1878. — H. Kellner, *Organischer Zusammenhang und Chronologie der Schriften Tertullians* in *Der Katolik*, 1879, II, 561, 589. — H. Diels, *Doxographi graeci*, Berol. 1879. — G. R. Hauschild, *Die rationale Psychologie und Erkenntnistheorie Tertullians*, Leipzig, 1880. — M. Klussmann, *Curarum Tertullianearum partic.* I-III, Halis, 1881; Gothae, 1887. — H. Kellner, *Tertullians sämtliche Schriften aus dem Lateinischen übersetzt* in *Bibliothek der Kirchenväter*, Kempten, V, VIII, Köln, 1882, 2 vol. — G. Ludwig, *Tertullians Ethik in durchaus obiectiver Darstellung*, Leipzig, 1885. — I. Kolberg, *Verfassung, Kultus und Disciplin der christlichen Kirche nach den Schriften Tertullians*, Braunsberg, 1886. — E. Nöldechen, *Die Abfassungszeit der Schriften Tertullians* (Texte und Untersuchungen u. s. f. V, 2), Leipzig, 1888. — P. Corssen, *Die « Altercatio Simonis Iudaei et Theophili Christiani »*, Berlin, 1890,

pp. 2-9. — W. von Hartel, *Patristische Studien*, I-IV, Wien, 1890. — H. Kellner, *Chronologiae Tertullianeae supplementa*, Bonnae, 1890. — E. Nöldechen, *Tertullian*, Gotha, 1890. — I. Schmidt, *Ein Beitrag zur Chronologie der Schriften Tertullians und der Prokonsuln von Afrika* in *Rhein, Museum f. Philol.* N. F. XLVI, 1891. — G. Boissier, *La fin du paganisme*, Paris, 1891, I, 259-304.—J. von der Vlict, *Studia ecclesiastica. Tertullianus*: I, *Critica interpretatoria*, Lug. Bat, 1891.— M. Klussmann, *Excerpta Tertullianea in Isidori Hispalensis Etymologiis* (Progr.), Hamburgi, 1892. — K. H. Wirth, *Der « Verdienst »- Begrief der christl. Kirche.* I, *Der « Verdienst »- Begrief bei Tertullien*, Leipzig, 1893. — G. Esser, *Die Seelenlehre Tertullians*, Paderbon, 1893.—E. Rolffs, *Des Indulgens-Edikt des römischen Bischofs Kallist*, Leipzig, 1893.—E. Nöldechen, in *Texte und Untersuchunge*, XII, 2, 1894. — Aem. Kroymann, *Quaestiones Tertullianeae criticae*, Oenip. 1894.—H. Gomperz, *Tertullianea*, Vindob., 1895. — A. Harnack, *Tertullian in der Litteratur der alten Kirche* in *Sitzungsberichte der K. preusz. Akad. der Wissenschaft zu Berlin*, 1895. — Schanz, *Gesch. der röm. Litt.* III, 1896.—K. Werber, *Tertullians Schrifte « De spectac. » in ihrem Verhältnis zu Varros « Rerum divinarum libri »*, Teschen, 1896.— I. M. Einsiedler, *De Tertull. adv. Iud. libro.* (Diss. inaug.), Aug. Vindel., 1897.— H. Hoppe, *De sermone Tertullianeo quaestiones selectae*, Marpurgi, 1897. — E. Norden, *Die antike Kunstprosa*, Leipzig, 1898. — J. Stier, *Die Gottes-und Logos-Lehre Tertullians*, Göttingen, 1899.

Cfr. Chevalier, *Répertoire des sources historiques*, 1583, pp. 2157-2159, 2820. — Richardson, *Bibliographic. Synopsis*, p. 43 sqq. — A. Ehrhard, *Die altchristliche Litteratur und ihre Erforschung von 1880-1884*, Freiburg, 1894, p. 110 sqq.; *von 1884-1900*, Freiburg, 1900, p. 427 sqq.

# SYNOPSIS

Introductio. I. Odium ethnicorum contra nomen christianum exprobratur. I. Occasio *Apologetici.* Iniquum est odium ethnicorum contra christianos, quia ethnici religionem christianam ignorant. Cum religio cognoscitur, non odium, sed amorem sibi conciliat. II. Etiamsi christiani malefici sint, non est eis negandum ius defensionis, quod ceteris reis conceditur. Consultatio Plinii et responsio Traiani. Quomodo Tertullianus sententiam Traiani arguat. Iniuste omnino cum christianis de nominis confessione vel negatione agitur. III. Ethnici adeo coeci erant in odio fovendo contra christianos, ut viris etiam probis nomen christianum exprobrarent, vitiumque virtuti praeferrent, dummodo nomen christianum excluderetur. Nomen christianorum innocuum est et a suo auctore derivatum. Non est damnandum, nisi probetur antea vel religio mala vel auctor malus. IV. Antequam innocentiam christianorum vindicet, exceptionem ex maiestate legum Tertullianus refellit. Leges sicut condi, ita reprobari et mutari possunt, quin imo debent, si iniustae vel crudeles deprehendantur. Sola aequitas leges confirmat. V. Apud Romanos nullus deus haberi licebat, nisi fuisset a senatu probatus. Aemilius de Alburno, Tiberius de Christo penes senatum agunt; sed nihil obtinent. Solummodo imperatores iniqui christianos persequuti sunt; Nero et Domitianus. Ceteri imperatores probi, Vespasianus, Traianus, Ha-

drianus, Pius, M. Aurelius favorem christianis tribuerunt. VI. Plures leges a Romanis violatae, non solum circa res sumptuarias, sed etiam circa matrimonium et religionem.

II. Crimina incestus, homicidii, antropophagiae diluuntur. VII. Nefanda crimina christianis obiciuntur; sed nunquam fuerunt probata, nec ullus prodidit. Cum sola fama, quae mendax est cuique nemo prudens credit, absque ulla confirmatione teneantur, sunt respuenda. VIII. Crimina de christianis vulgata non solum falsa sunt, sed etiam incredibilia. Difficultas solvitur, quasi christiani per ignorantiam et imposturam seducantur, nec postea metu poenae veritatem proclamare ausint. Christiani mortem pudendis actionibus praeferunt. IX. Omnia crimina, quibus christiani insimulantur, vere a gentilibus committuntur. Sic sacrificia humana, homicidia, infanticidia, abortus, sanguis gladiatorum haustus, anthropophagia, incestus. Contra christiani etiam a sanguine animalium abhorrent et castam vitam agunt.

III. Crimen sacrilegii et irreligiositatis expungitur. X. Christiani deos non colunt, quia homines sunt, sicut ipsi gentiles fatentur. XI. Si post mortem numina gentilium divinitatem sibi acquisiverunt, admittendus est aliquis deus sublimior, qui divinitatem tribuat. Ceterum nulla est ratio qua homines inter deos recenseantur; neque necessitas, neque inventio, neque meritum. Plures homines deos superarunt, sed non sunt dii. XII. Numina gentilium sunt nomina inania; simulacra vero ab hominibus conficta. Quapropter christiani deos non laedunt, quia nulli sunt dii. XIII. Ipsi gentiles deos suos contemnunt, quia alios aliis praeferunt, tributis subiciunt, eodem modo colunt ac mortuos, quotidie eorum numerum augent. XIV. Idem contemptus ostenditur ex victimis, quae offeruntur, ex poetis,

qui deos vituperant, ex philosophis, qui aperte vituperant. XV. Accedunt theatra, spectacula gladiatoria, sacrilegia turpissima, quae in templis perpetrantur. Ex his colligitur christianos, qui deos non colunt, esse veritatis cultores.

IV. De cultu christianorum. XVI. Refelluntur calumniae de cultu capitis asinini, crucis, solis, dii biformis. XVII. Deus christianorum unus est, creator universi, incomprehensibilis; quapropter testimonium Deo reddunt et creaturae et sensus communis hominum. XVIII. Ad Dei cognitionem adstruendam habetur argumentum in Sacra Scriptura, quae sive per Iudaeos dispersos, sive per versionem alexandrinam ubique vulgata est. XIX. Moyses et prophetae antiquiores sunt omnibus ethnicorum sapientibus, legislatoribus, historicis. Christiani facile id probari possent, quamvis Tertullianus ideo demonstrationem omittat quod extra fines sibi propositos excedat. XX. Scriptura divina probatur ex prophetiis, quae eventibus confirmatae sunt. XXI. De Christo, auctore religionis christianae. Iudaeorum reiectio et institutio Novi Testamenti iam fuerant praedictae. Ad hunc finem Dei Filius venit in mundum, qui est Dei Verbum, Deus de Deo. Iudaei Christum non receperunt, sed morti tradiderunt. Ipse tamen resurrexit a mortuis et in coelos ascendit. Christiani per Christum et in Christo verum Deum colunt, ideoque eorum religio vera est, ceterae falsae.

V. Alia argumenta polemica expenduntur. XXII. Exsistentia daemonum ex poetarum, vulgi et philosophorum auctoritate confirmatur. Ipsi possunt mira patrare et futura vel absentia praedicere; tamen in detrimentum hominis operantur. XXIII. Dii gentilium daemones sunt, quia eadem daemones et dii gentilium efficiunt, et dii gentilium a christianis adiurati daemones se esse profitentur. Chri-

stiani nomine Christi daemones adiurant, proindeque vera est religio christiana. Hinc plures christiani facti sunt propter testimonia ipsorum deorum gentilium. XXIV. Retorquetur crimen irreligiositatis. Ethnici deos suos spernunt et libertatem religionis adimunt christianis, quamvis eam pro falsis diis concedant. XXV. Falso Romani suum imperium diis referunt, quia toties impotentes fuere, ante eos plura regna exstitere, apud ipsos Romanos cultus deorum post imperium adeptum invaluit, quin imo Romani cum eorumdem deorum iniuria imperium obtinuerunt. XXVI. Romani diis suum imperium referre non debent. XXVII. Gentiles christianis proponebant ut ficte sacrificarent; sed consilium diabolicum erat, quia christiani cum damnantur, victoriam supra daemonem obtinent.

VI. De crimine laesae maiestatis. XXVIII. Christiani accusantur, quod pro salute imperatorum sacrificium non offerant. Arguuntur gentiles, qui imperatores plusquam deos colebant. XXIX. Frustra sacrificatur pro imperatorum salute, quia dii nullo modo possunt eos adiurare; hinc gentiles magis quam ethnici dicendi sunt irreligiosi. XXX. Quoniam salus imperatorum a vero Deo pendet, christiani eum pro imperatoribus deprecantur. Crimen igitur laesae maiestatis non christianis, sed gentilibus imputandum. XXXI. Ex S. Scriptura demonstratur christianos orare pro imperatoribus. XXXII. Christiani orant pro imperatoribus, quia ex conservatione imperii romani pendet conservatio orbis. Quare iuramentum per genium imperatorum Christiani non praestent. XXXIII. Christiani magis quam gentiles imperatores honorant. XXXIV. Imperator neque dominus appellandus est, neque multo minus deus. XXXV. Iniuria christiani accusantur laesae maiestatis, quod non celebrent imperatorum solemnia, quia indecora sunt. Retorquetur argumentum contra ethnicos, qui ser-

monibus, votis, coniurationibus, seditionibus imperatoribus insidias instruunt.

VII. De crimine odii contra populum romanum. XXXVI. Christiani omnes homines absque personarum acceptione iuxta evangelium diligunt. XXXVII. Christiani neminem inimicum odio prosequuntur, quamvis quadruplici modo possent ultionem de suis hostibus sumere: incendendo urbem, movendo seditionem, secedendo ex imperio, non amplius abigendo daemones ab ethnicis. XXXVIII. Christiani et factionibus renuntiant et theatris.

VIII. De vita christianorum. Aliae accusationes refutantur. XXXIX. De coetibus christianorum, cura egenorum et mutua dilectione. Omnia apud eos communia praeter uxores. Luxus gentilium in conviviis parandis; contra coenae christianorum modestia, sanctitate, temperantia excellebant. Iniuste igitur damnantur. XL. Iniuste pariter accusantur christiani de calamitatibus imperii. Iam ante Christum plures accidebant casus adversi, quin imo propter christianos calamitates leviores sunt. Vera causa in peccatis hominum consistit. XLI. Causa calamitatum ethnici sunt. Deus sapienter eas permittit vel in castigationem vel in admonitionem hominum. XLII. Christiani non sunt infructuosi in negotiis, licet a ritibus idolorum abstineant. Non solvunt quidem vectigalia templis, sed fideliter tributa publica aerario tradunt. XLIII. Quibus christiani sint inutiles, sed quanto cum lucro gentilium. XLIV. Innocentia christianorum manifesta est. XLV. Soli christiani veram innocentiam prosequuntur. Leges humanae infirmae sunt; lex divina sola plenam auctoritatem possidet. XLVI. Religio christiana appellatur genus philosophiae; sed hoc falsum est sive ex odio gentilium contra christianos, non contra philosophos; sive ex diffe-

rentia inter christianos et philosophos circa scientiam de Deo et circa disciplinam. XLVII. Philosophi plura acceperunt ex sacris litteris, plura etiam depravarunt: hinc dissensus in doctrina de Deo et de mundo et de anima humana. Nihil ex haeresum varietate contra veritatem christianae religionis erui potest. Corruptio veritatis opera daemonis confecta. XLVIII. Dogma resurrectionis, quamvis irrideatur, tamen rationi congruit, magis quam metempsychosis. Possibilitas resurrectionis confirmatur sive ex creatione hominis, sive ex resurrectione, quae in natura perficitur. Una tantum resurrectio erit in vitam aeternam, quae diversa erit pro virtutibus et vitiis. De igne inferni. XLIX. Christiana doctrina licet inepta videatur, innoxia est; ideoque poenas non meretur. Christiana religio libere est accipienda. L. Martyrium est certamen illustre. Etiam ethnici, quamvis christianos martyres deridant, qui pro gloria mundana mortem oppetierunt, laudibus cumulant. Crudelitas gentilium innocentiam christianorum probat. Sanguis martyrum semen christianorum.

# MONITUM

Desumpsimus textum *Apologetici* Tertulliani ex editione HAVERCAMP, quam recentiori aetate sequuti sunt KAYSER, HURTER, LÉONARD, BINDLEY.

# APOLOGETICUM[1]

I. Si non licet vobis, Romani imperii antistites, in aperto et edito ipso fere vertice civitatis praesidentibus ad iudicandum palam dispicere et coram examinare, quid sit liquido in causa christianorum;[2] si ad hanc solam speciem auctoritas

(1) Magna est controversia inter criticos de *Apologetici* destinatione. Tertullianus alloquitur *Romani Imperii antistites, in vertice civitatis praesidentes ad iudicandum, bonos praesides* (L). Quinam designantur? Tres sententiae prodierunt. Prima tenet *senatum romanum*, et auctoritate Eusebii praesertim utitur, qui ait: « Tertullianus ... idoneus te- « stis est in *Apologetico*, quem pro « fidei nostrae defensione ad sena- « tum urbis Romanae latino ser- « mone conscripsit » (τὴν Ῥωμαϊκὴν συγκλήτῳ [alias τῇ Ῥωμαϊκῇ συγκλήτῳ] προσφωνήσας ὑπὲρ τῆς πίστεως ἀπολογίαν). (*Hist. eccles.* V, 5, ed. LÄMMER 7). Alia *praesides Carthaginis*, eo quod Tertullianus urbem in qua *Apologeticum* scribebat a Roma distinguit (cfr. c. IX: « *in illa* religiosissima *urbe* « Aeneadum piorum » seu Roma) eamque *civitatem* simpliciter appellans, nomen haud Romae conveniens inducit, quod ceterum apte Carthagini convenire videtur. Postrema utramque opinionem concilians, *praesides generatim totius Imperii Romani*, eaque innititur ratione, quod Tertullianus non coarctat extensionem verborum ad praesides vel Romanos vel Carthaginienses. Igitur sicut ipse antea ediderat opus *Ad nationes*, et gentes universim alloquebatur, ita in *Apologetico* universim romanos magistratus respicit. Iuxta hanc explicationem verba *in aperto et edito ipso fere vertice civitatis* non designant Capitolium, quod contendunt fautores primae sententiae; sed generatim quemlibet locum ad iudicia exercenda destinatum, qui apertus et editus erat et propter suam dignitatem tamquam vertex civitatis habebatur.

(2) Non licebat propter metum populi, qui praeiudiciis imbutus,

vestra de iustitiae diligentia in publico aut timet aut erubescit inquirere;(1) si denique, quod proxime accidit, domesticis iudiciis nimis operata infestatio sectae huius obstruit defensioni:(2) liceat veritati vel occulta via tacitarum literarum ad aures vestras pervenire.

Nihil de causa sua deprecatur, quia nec de conditione miratur. Scit se peregrinam in terris agere, inter extraneos facile inimicos invenire, ceterum genus, sedem, spem, gratiam, dignitatem in caelis habere. Unum gestit interdum, ne ignorata damnetur. Quid hic deperit legibus in suo regno dominantibus, si audiatur? An hoc magis gloriabitur potestas eorum, quo etiam auditam damnabunt veritatem? Ceterum inauditam si damnent, praeter invidiam iniquitatis etiam suspicionem merebuntur alicuius conscientiae, nolentes audire, quod auditum damnare non possint.

Hanc itaque primam causam apud vos collocamus iniquitatis odii erga nomen christianorum, quam iniquitatem idem titulus et onerat et revincit, qui videtur excusare, ignorantia scilicet.(3) Quid enim iniquius, quam ut oderint homines quod ignorant, etiam si res meretur odium? Tunc etenim meretur, cum cognoscitur, an mereatur. Vacante autem meriti notitia, unde odii iustitia defenditur, quae non de eventu, sed de conscientia probanda est? Cum ergo propterea ode-

christianos scelestissimos reos existimabat.

(1) Tantum *ad solam speciem*, seu *in sola facti specie* christianorum, iudices de sua diligentia remittebant.

(2) Alludit Tertullianus ad factum quod recenter evenerat. Quidam praeses vel antistes liberos aut servos suos christianos deprehenderat. Tunc in furorem actus domestico iudicio saevas poenas intulerat. Accedens vero ad tribunal, ut causas christianorum iudicaret, infensum animum gerebat; propterea defensio christianorum ad aures iudicis libere et efficaciter pervenire non poterat.

(3) Ethnici ignorabant, quid essent christiani; ob hanc causam eos damnabant. Ignorantia tamen eos non excusabat, sed iniquum omnino eorum odium contra christianos reddebat; quia nihil odisse fas est antequam cognoscatur.

runt homines, quia ignorant, quale sit quod oderunt: cur non liceat eiusmodi illud esse, quod non debeant odisse? Ita utrumque ex alterutro redarguimus, et ignorare illos, dum oderunt, et iniuste odisse, dum ignorant.

Testimonium ignorantiae est, quae iniquitatem dum excusat, condemnat, cum omnes, qui retro oderant, quia ignorabant, quale sit quod oderant, simul ut desinunt ignorare, cessant et odisse.(1) Ex his fiunt christiani. Utique de comperto(2) et incipiunt odisse quod fuerant, et profiteri quod oderant. Et sunt tanti, quanti et denotamur. Obsessam vociferantur civitatem; in agris, in castellis, in insulis christianos; omnem sexum, aetatem, conditionem, etiam dignitatem transgredi ad hoc nomen quasi detrimento moerent.

Nec tamen hoc ipso ad aestimationem alicuius latentis boni promovent animos.(3) Non licet rectius suspicari, non libet propius experiri. Hic tantum curiositas humana torpescit. Amant ignorare, cum alii gaudeant cognovisse. Quanto magis hos Anacharsis denotasset imprudentes de prudentibus iudicantes quam immusicos de musicis?(4) Ma-

(1) Ignorantia ethnicorum exinde patet, quod omnes qui religionem christianam oderunt, statim ac eam cognoscunt, odisse cessant. Ergo ex ignorantia oderant.

(2) Ethnici, qui idololatria relicta, religionem christianam amplectuntur, *de comperto*, seu postquam eam cognoverunt, *incipiunt odisse quod fuerant, et profiteri quod oderant.*

(3) Quamvis ingens sit christianorum multitudo, tamen ethnici ne suspicionem quidem concipiunt, magnum in religione christiana latere bonum, quod tantum numerum alliciat.

(4) Anacharsis philosophus dixerat: Θαυμάζειν δὲ... πῶς παρὰ τοῖς Ἕλλησι ἀγωνίζονται μὲν οἱ τεχνῖται, κρίνουσι δὲ οἱ μὴ τεχνῖται. « Mirari se... quomodo apud « Graecos certarent artifices, iudi- « carent vero qui artifices non es- « sent ». (DIOG. LAËRT. *Anacharsis,* I, 103.). PLUTARCHUS eandem sententiam diversimode exhibet: Ἔφη δὲ κἀκεῖνο θαυμάζειν ὁ Ἀνάχαρσις ἐκκλησίᾳ παραγενόμενος, ὅτι λέγουσι μὲν οἱ σοφοὶ παρ' Ἕλλησι, κρίνουσι δὲ οἱ ἀμαθεῖς. « Id autem dixit Anacharsis, se « mirari, cum concioni interfuis- « set, quod dicerent apud Graecos « sapientes, stulti vero iudicarent »; (*Solon*). Error omnino similis in judicio christianorum committebatur.

lunt nescire, quia iam oderunt. Adeo quod nesciant, praeiudicant id esse, quod si sciant, odisse non poterant;[1] quando, si nullum odii debitum deprehendatur, optimum utique sit, desinere iniuste odisse; si vero de merito constet, non modo nihil odii detrahatur, sed amplius adquiratur ad perseverantiam, etiam iustitiae ipsius auctoritate.

Sed non ideo, inquit, bonum, quia multos convertit: quanti enim ad malum performantur, quanti transfugae in perversum? Quis negat? Tamen quod vere malum est, ne ipsi quidem, quos rapit, defendere pro bono audent. Omne malum aut timore aut pudore natura perfudit. Denique malefici gestiunt latere, devitant apparere, trepidant deprehensi, negant accusati, ne torti quidem facile aut semper confitentur; certe damnati moerent, dinumerant in semetipsos,[2] mentis malae impetus vel fato vel astris imputant. Nolunt enim suum esse, quia malum agnoscunt. Christianus vero quid simile? Neminem pudet, neminem poenitet, nisi plane retro non fuisse: si denotatur, gloriatur; si accusatur, non defendit; interrogatus vel ultro confitetur; damnatus gratias agit. Quid hoc mali est, quod naturalia mali non habet, timorem, pudorem, tergiversationem, poenitentiam, deplorationem? Quid? hoc malum est, cuius reus gaudet? cuius accusatio votum est, et poena felicitas? Non potes dementiam dicere, qui revinceris ignorare.[3]

II. Si certum est denique, nos nocentissimos esse, cur a vobis ipsis aliter tractamur, quam pares nostri, id est ceteri nocentes, cum eiusdem noxae eadem tractatio deberet inter-

(1) Odium ethnicorum et causa erat et effectus ignorantiae christianismi. Causa, quia *a priori* christianos oderant et inquisitionem negligebant; effectus, quia eatenus oderant, quatenus ignorabant.

(2) Locus est obscurus; fortassis significat: recensent actus suos intra semetipsos vel contra semetipsos.

(3) Ethnici non poterant asserere esse dementiam agendi rationem christianorum quia ignorabant, quid esset religio christiana.

venire? Quodcumque dicimur, cum alii dicuntur,(1) et proprio ore et mercenaria advocatione utuntur ad innocentiae suae commendationem; respondendi, altercandi facultas patet, quando nec liceat indefensos et inauditos omnino damnari. Sed christianis solis nihil permittitur loqui, quod causam purget, quod veritatem defendat, quod iudicem non faciat iniustum, sed illud solum exspectatur, quod odio publico necessarium est, confessio nominis, non examinatio criminis: quando, si de aliquo nocente cognoscatis,(2) non statim confesso eo nomen homicidae vel sacrilegi vel incesti vel publici hostis, ut de nostris elogiis loquar, contenti sitis ad pronunciandum, nisi et consequentia exigatis, qualitatem facti, numerum, locum, modum, tempus, conscios, socios? De nobis nihil tale, cum aeque extorqueri oporteret quod cum falso iactatur, quot quisque iam infanticidia degustasset, quot incesta contenebrasset, qui coqui, qui canes adfuissent.(3) O quanta illius praesidis gloria, si eruisset aliquem, qui centum iam infantes comedisset!

Atquin invenimus inquisitionem quoque in nos prohibitam. Plinius enim Secundus, cum provinciam regeret, damnatis quibusdam christianis, quibusdam gradu pulsis, ipsa tamen multitudine perturbatus, quid de cetero ageret, consuluit tunc Traianum imperatorem, allegans, praeter obstinationem non sacrificandi nihil aliud se de sacramentis(4) eorum comperisse, quam coetus antelucanos ad canendum Christo et Deo et ad confoederandam disciplinam, homicidium, adulterium,

(1) Cum alii homines arguuntur iisdem criminibus, quibus accusantur christiani, facultatem habent sese defendendi, sive per semetipsos sive per advocatos, mercede conductos.

(2) *Cognoscere de aliquo nocente* idem est ac instituere iudicium de aliquo reo.

(3) Alludit ad crimina, quae ab ethnicis christianis imputabantur. (Cfr. c. 7 sqq; Minuc. Fel. *Octav.* 8, 9, 27).

(4) *Sacramenta christianorum* Tertulliano sunt mysteria seu caeremoniae et doctrinae sacrae et absconditae, quas christiani exercebant vel profitebantur.

fraudem, perfidiam et cetera scelera prohibentes. Tunc Traianus rescripsit, hoc genus inquirendos quidem non esse, oblatos vero puniri oportere.[1]

(1) Optimum ducimus hic referre utramque epistolam Plinii ad Traianum et Traiani ad Plinium:

C. PLINIUS TRAIANO IMPERATORI S.

« Solemne est mihi, Domine, omnia, de quibus dubito, ad te referre. Quis enim potest melius vel cunctationem meam regere vel ignorantiam instruere? Cognitionibus de christianis interfui nunquam: ideo nescio, quid et quatenus aut puniri soleat aut quaeri. Nec mediocriter haesitavi, sitne aliquod discrimen aetatum, an quamlibet teneri nihil a robustioribus differant; deturne poenitentiae venia, an ei, qui omnino christianus fuit, desisse non prosit: nomen ipsum, etiamsi flagitiis careat, an flagitia cohaerentia nomini puniantur. Interim in iis, qui ad me tamquam christiani deferebantur, hunc sum secutus modum. Interrogavi ipsos, an essent christiani: confitentes iterum ac tertio interrogavi, supplicium minatus; perseverantes duci iussi. Neque enim dubitavi, qualecunque esset, quod faterentur, pervicaciam certe et inflexibilem obstinationem debere puniri. Fuerunt alii similis amentiae, quos, quia cives Romani erant, adnotavi in Urbem remittendos. Mox ipso tractatu, ut fieri solet, diffundente se crimine, plures species inciderunt. Propositus est libellus sine auctore, multorum nomina continens. Qui negabant, esse se christianos aut fuisse, cum praeeunte me deos appellarent et imagini tuae, quam propter hoc iusseram cum simulacris numinum afferri, thure ac vino supplicarent, praeterea maledicerent Christo, quorum nihil cogi posse dicuntur qui sunt revera christiani. Ergo dimittendos putavi. Alii ab indice nominati esse se christianos dixerunt et mox negaverunt; fuisse quidem, sed desisse, quidam ante triennium, quidam ante plures annos, non nemo etiam ante vigintiquinque. Omnes et imaginem tuam deorumque simulacra venerati sunt et Christo maledixerunt. Affirmabant autem hanc fuisse summam vel culpae suae vel erroris, quod essent soliti stato die ante lucem convenire carmenque Christo quasi Deo dicere secum invicem; seque sacramento non in scelus aliquod obstringere, sed ne furta, ne latrocinia, ne adulteria committerent, ne fidem fallerent, ne depositum appellati abnegarent: quibus peractis, morem sibi discedendi fuisse rursusque coëundi ad capiendum cibum, promiscuum tamen et innoxium; quod ipsum facere desisse post edictum meum,

O sententiam necessitate confusam! Negat inquirendos ut innocentes et mandat puniendos ut nocentes. Parcit et saevit, dissimulat et animadvertit. Quid temetipsam censura circumvenis? Si damnas, cur non et inquiris? Si non inquiris, cur non et absolvis? Latronibus vestigandis per universas provincias militaris statio sortitur. In reos maiestatis et publicos hostes omnis homo miles est: ad socios, ad conscios usque inquisitio extenditur. Solum christianum inquiri non licet, offerri licet. Quasi aliud esset actura inquisitio quam oblationem.(1) Damnatis itaque oblatum, quem nemo

quo secundum mandata tua hetaerias esse vetueram. Quo magis necessarium credidi, ex duabus ancillis, quae ministrae dicebantur, quid esset veri, et per tormenta quaerere. Sed nihil aliud inveni, quam superstitionem pravam et immodicam. Ideo dilata cognitione ad consulendum te decucurri. Visa est enim mihi res digna consultatione, maxime propter periclitantium numerum. Multi enim omnis aetatis, omnis ordinis, utriusque sexus etiam, vocantur in periculum et vocabuntur. Neque enim civitates tantum, sed vicos etiam atque agros superstitionis istius contagio pervagata est; quae videtur sisti et corrigi posse. Certe satis constat, prope iam desolata templa coepisse celebrari et sacra solemnia diu intermissa repeti passimque venire victimas, quarum adhuc rarissimus emptor inveniebatur. Ex quo facile est opinari, quae turba hominum emendari possit, si fiat poenitentiae locus ».

Quibus rebus Traianus:

TRAIANUS PLINIO S.

« Actum, quem debuisti, mi Secunde, in excutiendis causis eorum, qui christiani ad te delati fuerant, secutus es. Neque enim in universum aliquid, quod quasi certam formam habeat, constitui potest. Conquirendi non sunt: si deferantur et arguantur, puniendi sunt; ita tamen, ut qui negaverit, se christianum esse idque re ipsa manifestum fecerit, id est supplicando diis nostris, quamvis suspectus in praeteritum fuerit, veniam ex poenitentia impetret. Sine auctore vero propositi libelli, in nullo crimine locum habere debent. Nam et pessimi exempli nec nostri saeculi est ».

Cfr. EUSEB. *Histor. Eccles.* III, ed. LÄMMER, 34.

(1) Inquisitio non habet aliud munus quam oblatio; sicut qui deferebant, professionem christianam nunciabant, ita inquisitio eandem professionem deprehendere debebat. Nihilominus ethnici damnabant christianum oblatum; sed ipsum non requirebant.

voluit requisitum; qui, puto, iam non ideo meruit poenam, quia nocens est, sed quia non requirendus inventus est.

Itaque nec in illo ex forma malorum iudicandorum agitis erga nos, quod ceteris negantibus adhibetis tormenta ad confitendum, solis christianis ad negandum,[1] cum si malum esset, nos quidem negaremus, vos vero confiteri tormentis compelleretis. Neque enim ideo non putaretis requirenda quaestionibus scelera, quia certi essetis admitti ea ex nominis confessione, qui hodie de confesso homicida, scientes homicidium quid sit, nihilominus ordinem extorquetis admissi.[2] Quo perversius, cum praesumatis de sceleribus nostris ex nominis confessione, cogitis tormentis de confessione decedere, ut negantes nomen pariter utique negemus et scelera, de quibus ex confessione nominis praesumpseratis.[3]

Sed, opinor, non vultis nos perire, quos pessimos creditis. Sic enim soletis dicere homicidae: nega; laniari iubere sacrilegum, si confiteri perseveraverit.[4] Si non ita agitis circa nos nocentes, ergo nos innocentissimos iudicatis, cum quasi innocentissimos non vultis in ea confessione perseverare, quam necessitate, non iustitia damnandum a vobis sciatis. Vociferatur homo: christianus sum. Quod est, dicit; tu vis

(1) Absurda omnino erat ratio cognoscendi causas christianorum. Nam diversimode ac agebatur cum ceteris reis, non cogebantur ad confitendum, sed ad negandum nomen christianum.

(2) Ethnici nomen tantum christianum in iudicio exquirebant; eo ipso crimina, quae christianis adtribuebantur, implicite iam manifestata arbitrabantur. Tertullianus eam agendi rationem impugnat; nam etiamsi confessio nominis christiani aequivaleat confessioni criminum; tamen ordo criminum, ex. gr., homicidii, erat inquirendus, quemadmodum in iudicio de reis confessis agebatur.

(3) Sicut confessio nominis christiani reputabatur confessio criminum, ita negatio nominis negatio criminum. Hinc iudices christianos ad Christum denegandum cogebant.

(4) Ethnici solebant dicere christiano, qui *homicida* putabatur: « nega te esse christianum »; sed si confitebatur constanter se esse christianum, iubebant eum tamquam *sacrilegum* tormentis laniari.

audire quod non est. Veritatis extorquendae praesides de nobis solis mendacium elaboratis audire. Hoc sum, inquit, quod quaeris an sim. Quid me torques in perversum? Confiteor, et torques: quid faceres, si negarem? Plane aliis negantibus non facile fidem accomodatis: nobis, si negaverimus, statim creditis.

Suspecta sit vobis ista, ne qua vis lateat in occulto,(1) quae vos adversus formam, adversus naturam iudicandi, contra ipsas quoque leges ministret. Nisi fallor enim, leges malos erui iubent, non abscondi, confessos damnari praescribunt, non absolvi. Hoc senatus consulta, hoc principum mandata definiunt. Hoc imperium, cuius ministri estis, civilis, non tyrannica dominatio est. Apud tyrannos enim tormenta etiam pro poena adhibebantur: apud vos soli quaestioni temperantur. Vestram illis servate legem usque ad confessionem necessariam, et iam si confessione praeveniantur, vacabunt.(2) Sententia opus est: debito poenae nocens expungendus est, non eximendus.

Denique nemo illum (3) gestit absolvere. Non licet hoc velle. Ideo nec cogitur quisquam negare. Christianum hominem omnium scelerum reum, deorum, imperatorum, legum, morum, naturae totius inimicum existimas et cogis negare, ut absolvas, quem non poteris absolvere, nisi negaverit. Praevaricaris in leges. Vis ergo neget se nocentem, ut eum facias innocentem, et quidem invitum iam nec de praeterito reum.(4) Unde ista perversitas, ut etiam illud non recogi-

(1) Saevitia iudicum contra christianos a daemone erat excitata.

(2) Iudices romani adhibebant tormenta solum ad veritatem inquirendam. Igitur habita confessione, superflua evadebant. Contra in causa christianorum tormenta post confessionem adhibebant, ut confessionem ipsam destruerent.

(3) Refertur τὸ *illum* ad reum confessum.

(4) Cum ad negationem ethnici christianum adducebant, ex nocente innocentem faciebant, sed invitum, quia tormentis coactus Christum negabat.

tetis, sponte confesso magis credendum esse, quam per vim neganti; vel ne compulsus negare non ex fide negarit et absolutus ibidem post tribunal de vestra rideat aemulatione iterum christianus?

Cum igitur in omnibus nos aliter disponitis quam ceteros nocentes, ad unum contendendo, ut de eo nomine excludamur — excludimur enim, si faciamus quae faciunt non christiani — intelligere potestis, non scelus aliquod in causa esse, sed nomen, quod quaedam ratio aemulae[1] operationis insequitur, hoc primum agens, ut homines nolint scire pro certo, quod se nescire pro certo, sciunt. Ideo et credunt de nobis quae non probantur, et nolunt inquiri, ne probentur non esse, quae malunt credidisse, ut nomen illius aemulae rationis inimicum praesumptis, non probatis criminibus de sua sola confessione damnetur.[2] Ideo torquemur confitentes et punimur perseverantes et absolvimur negantes, quia nominis proelium est. Denique quid de tabella recitatis illum christianum?[3] cur non et homicida christianus? cur non et incestum vel quodcunque aliud esse nos creditis? In nobis solis pudet aut piget ipsis nominibus scelerum pronunciare.[4] Christianus si nullius criminis nomen est, valde incestum, si solius nominis crimen est, valde infestum.

III. Quid? quod ita plerique clausis oculis in odium eius impingunt, ut bonum alicui testimonium ferentes admisceant nominis exprobrationem. Bonus vir Caius Seius tantum quod christianus. Item alius: Ego miror Lucium sapientem virum, repente factum christianum. Nemo retractat, ne ideo

(1) Aemulatio diabolica insequebatur nomen christianum.

(2) Nomen christianum inimicum diaboli damnatur ob solam confessionem.

(3) Mos erat Romanis, ut nomina reorum in tabella quadam inscriberentur simul cum criminibus, propter quae damnabantur. Porro cum de christianis agebatur, pro crimine solum nomen « Christianus » indicabatur.

(4) Intellige: pronuntiare sententiam damnationis.

bonus Caius et prudens Lucius, quia christianus, aut ideo christianus, quia prudens et bonus. Laudant quae sciunt, vituperant quae ignorant, et id quod sciunt, eo quod ignorant, irrumpunt,(1) cum sit iustius occulta de manifestis praeiudicare, quam manifesta de occultis praedamnare.

Alii quos retro ante hoc nomen vagos, viles, improbos noverant, ex ipso denotant, quod laudant;(2) caecitate odii in suffragium impingunt. Quae mulier, quam lasciva, quam festiva! Quis iuvenis, quam lusius, quam amasius! Facti sunt christiani. Ita nomen emendationi imputatur.(3) Nonnulli etiam de utilitatibus suis cum odio isto paciscuntur, contenti iniuria, dum ne domi habeant quod oderunt. Uxorem iam pudicam maritus iam non zelotypus, filium iam subiectum pater retro patiens abdicavit. Servum iam fidelem dominus olim mitis ab oculis relegavit. Ut quisque hoc nomine emendatur, offendit. Tanti non est bonum, quanti odium christianorum.(4)

Nunc igitur, si nominis odium est, quis nominum reatus? Quae accusatio vocabulorum, nisi si aut barbarum sonat aliqua vox nominis, aut infaustum, aut maledicum, aut impudicum? Christianus vero, quantum interpretatio est, de unctione deducitur. Sed et cum perperam chrestianus pronunciatur a vobis(5) — nam nec nominis certa est notitia penes vos —

(1) Ethnici sciunt christianos esse bonos vel sapientes; nesciunt tamen, quid sint christiani; quamobrem «quod sciunt, eo quod ignorant, irrumpunt» vel «corrumpunt», ut alii legunt.

(2) *Alii* (ethnici) *quos retro ante hoc nomen* (eos qui antea christiani non erant) *vagos, viles, improbos noverant, ex ipso denotant, quod laudant* (denotant factos esse christianos ex eo quod novam et probam eorum vitam laudant).

(3) Nomen christiani significat emendationem morum.

(4) Nullum bonum est tanti quanti odium christianorum; proindeque nonnulli utilitates suas quidem amittunt, dummodo christianos domi non habeant. Hinc expulsio uxoris, filiorum, servorum.

(5) Ethnici ignorantes originem ipsam nominis, pro *christianis*, *chrestianos* discipulos Christi appellabant. Cfr. SUETONIUS: «Iudaeos, «impulsore Chresto assidue tumul-

de suavitate vel benignitate compositum est. Oditur itaque in hominibus innocuis etiam nomen innocuum.

At enim secta oditur in nomine utique sui auctoris. Quid novi, si aliqua disciplina de magistro cognomentum sectatoribus suis inducit? Nonne philosophi de auctoribus suis nuncupantur Platonici, Epicurei, Pythagorici? etiam a locis conventiculorum et stationum suarum Stoici, Academici? aeque medici ab Erasistrato et grammatici ab Aristarcho, coqui etiam ab Apicio?(1) Nec tamen quemquam offendit professio nominis cum institutione transmissa ab institutore. Plane, si qui probavit malam sectam et ita malum et auctorem, is probabit et nomen malum, dignum odio de reatu sectae et auctoris. Ideoque ante odium nominis competebat prius de auctore sectam recognoscere vel auctorem de secta. At nunc utriusque inquisitione et agnitione neglecta nomen detinetur, nomen expugnatur, et ignotam sectam, ignotum et auctorem vox sola praedamnat, quia nominantur, non quia revincuntur.

IV. Atque adeo quasi praefatus haec ad sugillandam odii erga nos publici iniquitatem, iam de causa innocentiae consistam; nec tantum refutabo quae nobis obiiciuntur, sed etiam in ipsos retorquebo, qui obiiciunt, ut ex hoc quoque sciant homines, in christianis non esse quae in se nesciunt esse, simul uti erubescant accusantes, non dico pessimi optimos, sed iam ut volunt, compares suos.(2) Respondebimus ad singula, quae in occulto admittere dicimur, quae illos palam

« tuantes Roma expulit » (*Claud.* 25): quod testimonium ex recentiorum sententia de Christo est intelligendum. Etiam LACTANTIUS: « Sed « exponenda huius nominis (Chri- « sti) ratio est, propter ignoran- « tium errorem, qui eum immutata « littera *Chrestum* solent dicere » (*Instit. divin.* IV, 7). Iam *chrestianus* a χρηστός, (bonus, mitis, benignus) dicitur.

(1) Apicius erat notissimus helluo.

(2) Ethnici putabant christianos *compares suos*, seu vitiis illis infectos, quibus ipsi foedabantur.

admittentes invenimus, in quibus scelesti, in quibus vani, in quibus damnandi, in quibus irridendi deputamur.

Sed quoniam cum ad omnia occurrit veritas nostra, postremo legum obstruitur auctoritas adversus eam, ut aut nihil dicatur retractandum esse post leges, aut ingratis necessitas obsequii praeferatur veritati, de legibus prius concurram vobiscum, ut cum tutoribus legum.(1) Iam primum, cum dure definitis dicendo: *Non licet esse vos!* et hoc sine ullo retractatu (2) humaniore praescribitis, vim profitemini et iniquam ex arce dominationem, si ideo negatis licere, quia vultis, non quia debuit non licere. Quasi quia non debet, ideo non vultis licere, sine dubio id non debet licere, quod male fit, et utique hoc ipso praeiudicatur licere quod bene fit.(3) Si bonum invenero esse, quod lex tua prohibuit, nonne ex illo praeiudicio prohibere me non potest quod, si malum esset, iure prohiberet? Si lex tua erravit, puto, ab homine concepta est; neque enim de coelo ruit.

Miramini hominem aut errare potuisse in lege condenda, aut resipuisse in reprobanda? Non enim et ipsius Lycurgi leges a Lacedaemoniis emendatae tantum auctori suo doloris incusserunt, ut in secessu inedia de semetipso iudicarit? (4) Nonne et vos quotidie, experimentis illuminantibus tenebras

(1) Contra suam defensionem Tertullianus praevidet difficultatem: etiamsi christiani sint innocentes, obstat lex. Hinc de legibus prius disputat.

(2) *Sine ullo retractatu* idem est ac sine ullo diligentiori examine, quin rationes humanitatis audiantur.

(3) Si prohibitio obiectiva est, mala res est quae prohibetur. Igitur quod bonum est, ex ratione contrariorum, profecto licet; nec prohiberi potest.

(4) Tertullianus Plutarchum sequitur, qui narrat Lycurgum, celeberrimum Lacedaemoniorum legislatorem, postquam iureiurando reges, senatum, cives obstrinxisset fore ut eius leges fideliter custodirent et observarent, donec Delphis rediret, ne sacramenti religione solverentur, sibi inedia conscivisse mortem (ἐτελεύτησεν ἀποκαρτερήσας.). Nihilominus Lacedaemones non solum suum iuramentum, sed etiam leges Lycurgi spreverunt et abrogarunt.

antiquitatis, totam illam veterem et squalentem silvam legum novis principalium rescriptorum et edictorum securibus truncatis et caeditis? Nonne vanissimas Papias leges, quae ante liberos suscipi cogunt quam Iuliae matrimonium contrahi, post tantae auctoritatis senectutem heri Severus constantissimus principum exclusit? (1) Sed et iudicatos in partes secari a creditoribus, leges erant; consensu tamen publico crudelitas postea erasa est; in pudoris notam capitis poena conversa est. (2) Bonorum adhibita proscriptio suffundere maluit hominis sanguinem quae effundere. (3)

(1) Tertullianus respicit legem Iuliam *de maritandis ordinibus* quae a Iulio Caesare Octaviano Augusto sic est appellata. Constituebatur, ut puellae duodecimo aetatis suae anno matrimonium contraherent. Postea lex Papia Poppaea, a Papio et Poppaeo, consulibus suffectis tempore Augusti denominata, sanxit ut puellae decimo aetatis suae anno desponderi et nubere possent. Septimius Severus illam utriusque legis partem abrogavit, quae immaturas adhuc aetate virgines in matrimonio collocabat.

(2) Iam ante legem XII tabularum contra debitores ferox exstabat dispositio, quae ab ipsis XII tabulis fuit confirmata. Cum enim die a iure statuto aes alienum debitor nondum solverat, triginta dierum spatium accipiebat, ut pecuniam quaereret. Deinde catenis vinctus, per alios triginta dies solo pane et aqua in carcere detinebatur. Postea exponebatur nundinis, ut ei qui maius pretium offerret, venderetur. Denique tertiis nundinis, seu post sexaginta dies capite plectebatur, et si plures erant creditores, corpus debitoris in partes secabatur, quae singulis creditoribus tradebantur. Notat tamen Gellius numquam hanc legem exsecutioni mandatam. « Addici namque », ait ille, « nunc et vinciri multos videmus, « quia vinculorum poenam deterrimi homines contemnunt. Dis« sectum esse antiquitus neminem « neque legi, neque audivi ». (*Noct. Att.* XX, I). Quintilianus vero consuetudine abolitam esse, non secus ac Tertullianus noster, testatur. « Sunt quaedam non lau« dabilia natura, sed iure concessa; « ut duodecim tabulis debitoris cor« pus inter creditores dividi licuit, « quam legem mos publicus repu« diavit ». (*Instit. orat.* III, 6). *Poena capitis conversa est in pudoris notam* seu in poenam infamiae.

(3) Cum *proscriptio bonorum* contra debitorem decernebatur, *suffundebatur*, utique pudore et infamia, *hominis sanguis*, sed minime *effundebatur*.

Quot adhuc vobis repurgandae latent leges, quas neque annorum numerus, neque conditorum dignitas commendat, sed aequitas sola! [1] Et ideo cum iniquae recognoscuntur, merito damnantur, licet damnent. Quomodo iniquas dicimus? Imo, si nomen puniunt, etiam stultas; si vero facta, cur de solo nomine puniunt facta, quae in aliis de admisso, non de nomine probata defendunt? Incestus sum; cur non requirunt? infanticida; cur non extorquent? In deos, in Caesares aliquid committo, cur non audior qui habeo quo purger? Nulla lex vetat discuti quod prohibet admitti, quia neque iudex iuste ulciscitur, nisi cognoscat admissum esse quod non licet, neque civis fideliter legi obsequitur, ignorans quale sit quod ulciscitur lex. Nulla lex sibi soli conscientiam iustitiae suae debet, sed eis, a quibus obsequium exspectat. Ceterum suspecta lex est, quae probari se non vult: improba autem, si non probata dominetur.

V. Ut de origine aliquid retractemus eiusmodi legum, vetus erat decretum, ne qui deus ab imperatore consecraretur, nisi a senatu probatus. [2] Scit M. Aemilius de deo suo Alburno. Facit et hoc ad causam nostram, quod apud vos de humano arbitratu divinitas pensitatur. Nisi homini deus placuerit, deus non erit. Homo iam deo propitius esse debebit.

(1) « Τὸ *quas* non ad *leges purgandas* referri debet praecise, « sed generatim *ad leges*, quasi « diceret: Leges neque annorum « numerus, neque conditorum di- « gnitas commendat, sed aequitas « sola »; RIGAULT.

(2) CICERO hanc legem refert: « Separatim nemo habessit deos, « neque novos; sed ne advenas, « nisi publice ascitos, privatim co- « lunto ». (*De leg.* II, 8). Cfr. EUSEB. *Hist. Eccl.* II, 2. Iuxta Le Nourry Tertullianus aliud decretum respexit. M. Aemilius Probus, ignarus huius legis aut de illa in ancipiti praelii fortuna nihil cogitans, vovit fore, ut si hostes vinceret, fanum consecraret deo Alburno. Senatus tamen, quominus votum impleretur, prohibuit. Quis sit ille deus Alburnus, res difficilis explicatu est. Videtur fuisse deus topicus cui consecratus erat Mons Alburnus in Lucania apud Silarum flumen.

Tiberius ergo, cuius tempore nomen christianum in seculum introivit, annunciatum sibi ex Syria Palaestina, quod illic veritatem ipsius divinitatis revelaverat, detulit ad senatum cum praerogativa suffragii sui. Senatus, quia non ipse probaverat, respuit; Caesar in sententia mansit, comminatus periculum accusatoribus christianorum.(1) Consulite commentarios vestros, illic reperietis primum Neronem in hanc sectam cum maxime Romae orientem caesariano gladio ferocisse. Sed tali dedicatore damnationis nostrae etiam gloriamur. Qui enim scit illum, intelligere potest non nisi grande aliquod bonum a Nerone damnatum.(2) Tentaverat et Domitianus, portio Neronis de crudelitate; sed qua et homo, facile coeptum repressit, restitutis etiam quos relegaverat.(3) Tales semper nobis insecutores, iniusti, impii, turpes, quos et ipsi damnare consuestis, a quibus damnatos restituere soliti estis.(4)

Ceterum de tot exinde principibus ad hodiernum divinum humanumque sapientibus edite aliquem debellatorem christianorum! At nos e contrario edimus protectorem, si

(1) Cfr. c. 21. Praeterea Iustinus, *Apolog.* I, 35-48; Euseb. *Hist. Eccl.* II, 2, qui Tertullianum allegat. Exstant *Acta Pilati ad Tiberium*, et *duae epistolae* ipsius Pilati ad Tiberium, (cfr. Thilo, *Codex apocr. Nov. Testam.* I, 796 sqq.; 803 sqq.; Tischendorf, *Evang. apocr.* p. liv et 203; 413 sqq.; G. Brunet, *Les évangiles apocryphes*, p. 215 sqq.); sed procul dubio sunt apocrypha.

(2) Cfr. Tacit. *Annal.* XV, 44; Sueton. *Nero*, 46; S. Clement. Rom. *Epist. I ad Corinth.* 6.

(3) Cfr. Sueton. *Dom.* 12, 15; Dio Cass. *Histor. rom.* LXVII, 13; Hegesippus apud Euseb. *Hist. Eccl.* III, 20. *Qua et homo* = qua aliquo modo humanus.

(4) Apologistae christiani sub finem saec. ii in eam inclinabant opinionem, quod nonnisi imperatores, qui pravam vitam agerent, christianos persequebantur. Verum historia contrarium docet; nam ex iniquis quidam vel brevi tempore, uti Domitianus, vel numquam, ut Commodus, christianos vexarunt; ceteri vero optimi, sicut Traianus, Hadrianus, Antoninus Pius, Marcus Aurelius persecutionem per totum tempus sui imperii protraxerunt. Cfr. Allard, *Histoire des persécutions pendant les deux premiers siècles*, 2a ed. 379 sqq.

literae Marci Aurelii, gravissimi imperatoris, requirantur, quibus illam germanicam sitim christianorum forte militum precationibus impetrato imbri discussam contestatur.(1) Si-

(1) Ad intelligentiam textus Tertulliani haec exscribere praestat ex EUSEBIO: « M. Aurelium « Caesarem, cum adversus Germa- « nos et Sarmatas pugnaturus « aciem instrueret, et exercitus « ipsius siti premeretur, paene ad « inopiam consilii redactum esse « memorant. Tum vero milites « legionis Melitinae, quae fidei me- « rito etiam nunc manet, dum « acies adversus hostes ordinatur, « flexis in terram genibus, ut no- « stris orantibus mos est, preces « ad Deum fudisse perhibentur. « Cuius spectaculi novitate hosti- « bus stupefactis, aliud quiddam « longe maiori dignum admira- « tione accidisse narrant; hinc « quidem fulminum iactus, quibus « hostium copiae in fugam versae « atque exstinctae sint; illinc vero « imbrium vim, quibus exercitus « eorum qui Deum precati fue- « rant, iam iam siti periturus, « praeter spem recreatus est ». (*Hist. Eccl.* V, 7).

Plures sunt quaestiones, quae a criticis agitantur. Pro re nostra haec innuisse sufficiat: Tertullianus duo asserit: miraculum pluviae et epistolam M. Aurelii ad senatum. De pluvia extraordinaria militibus romanis concessa fontes exploratissimi habentur APOLLINARIS, episcopus Hierapolitanus in Phrygia (ap. EUS. *Hist. Eccl.* V, 7), DIO CASSIUS (*Hist. rom.* LXXI, 8–10) et columna Antonina; ex quibus, Apollinaris scripsit sub ipso M. Aurelio, Dio Cassius secundo vel tertio decennio saec. III, columna vero erecta est paulo post mortem M. Aurelii (17 mart. 180). Cfr. TERTULL. *Ad Scapul.* 4; OROSIUS, *Hist.* VII, 9; IUL. CAPITOL. *Ant. Phil.* 24; THEMISTIUS, *Orat. XV ad Theod.* Discrimen est tantum circa causam miraculi; nam Apollinaris cum Tertulliano nostro precibus militum christianorum tribuit et a Deo vivo et vero impetratam pluviam testatur; alii vero ut Dio Cassius, Arnuphim magum aegyptium, qui erat in comitatu M. Aurelii, artibus magicis opera daemonum et Hermetis Aërei pluviam obtinuisse asserit; Themistius de quadam repraesentatione prodigii loquitur, in qua inducitur imperatoris imago orantis inter milites; in columna vero figura quaedam anthropomorpha conspicitur, quae hucusque cum Baronio, Bellori, Nibby, Platner, Martigny, Allard reputata est imago *Iovis Pluvii*; sed a Petersen tamquam repraesentatio phenomeni pluvialis consideratur. Quaenam ex hisce explicationibus sit admittenda, ex valore fontium facile eruitur.

Themistius in primis non est attendendus, quia a columna dependet, et in columna imago M. Aurelii orantis non invenitur.

cut non palam ab eiusmodi hominibus poenam dimovit, ita alio modo palam dispersit, adiecta etiam accusatoribus damnatione, et quidem tetriore.[1]

Dio Cassius adiuncta tradit, quae vitae et indoli M. Aurelii non conveniunt; imperator philosophus enim magos secum non tolerabat; ceteroquin notum est, quo animo scriptor ethnicus esset erga christianos affectus. Columna vero monumentum erat status gentilis, qui systematice christianos proscripserat. Nequit igitur exigi, ut contra propriam agendi rationem publicum testimonium Deo christianorum expresse perhiberet. Auctores nostri vero propinqui sunt et coaevi temporibus, quibus factum evenit (174); iique tantum rationabilem facti explicationem tradunt. Ergo fides Apollinari et Tertulliano nostro sive circa substantiam, sive circā naturam miraculi est omnino adhibenda; nec audiendi sunt HARNACK (*Die Quelle der Berichte über das Regenwunder in Feldzuge Marc-Aurels gegen die Quaden in Sitzungsberichte der Akademie von Berlin*, 1894, p. 835 sqq.) et MOMMSEN (*Das Regenwunder der Marcus-Saüle* in *Hermes*, XXX, [1895], I, p. 90 sqq.), qui licet factum admittant, naturam miraculosam negant.

Quod vero spectat epistolam Marci Aurelii ad senatum, dicimus eius historicitatem esse admittendam, quamvis ea ad nos usque non pervenerit. Historicitatem confirmat Dio Cassius, qui cum Tertulliano nostro ait M. Aurelium τῇ γερουσίᾳ ἐπέστειλεν, « senatui « epistolam misisse ». Equidem ALLARD (*Histoire des persécut. pendant les deux premiers siècles*, p. 382 sqq.) et PETERSEN (*Das Wunder an der Columna M. Aureli* in *Mittheil. des archäolog. Instit. – Römische Abtheilung* IX [1894], 78 sqq.) commenticiam eam existimarunt; sed plures alii critici, ut HARNACK, (op. c. l. c.), MOMMSEN (op. c. l. c.) DUSCHESNE (*Bulletin critique*, XV [1894], p. 476), GRISAR (La *Civiltà Cattolica*, XVI [1895] I, p. 218 sqq.) eam admittunt. In hac hypothesi facilius intelliguntur et verba Tertulliani dubitativa, quae in ore scriptoris christiani haud congruunt « christianorum « *forte* militum precationibus im« petrato imbri »; et verba Xiphilini qui Dionem in compendium redegit: οἱ καλούμενοι Χριστιανοί, « qui dicuntur Christiani ». Critici opinantur phrases illas adhuc resonare verba, quae imperator in epistola adhibuit. Nihilominus documentum hoc pretiosissimum deperditum est. Exstant quidem duae epistolae Marci Aurelii ad senatum; quarum alia graeco sermone, alia latino conscripta est; sed utraque est apocrypha, quamvis in epistola graeca, iudice Harnack, quaedam vestigia

(1) Vide pag. sequentem.

Quales ergo leges istae, quas adversus nos soli exercent impii, iniusti, turpes, truces, vani, dementes, quas Traianus ex parte frustratus est vetando inquiri christianos, quas nullus Hadrianus, quamquam omnium curiositatum explorator, nullus Vespasianus, quamquam Iudaeorum debellator, nullus Pius, nullus Verus impressit? (2) Facilius utique pessimi ab optimis quibusque, ut ab aemulis, quam a suis sociis eradicandi iudicarentur.

VI. Nunc religiosissimi legum et paternorum institutorum protectores et ultores respondeant velim de sua fide et honore et obsequio erga maiorum consulta, si a nullo desciverunt, si in nullo exorbitaverunt, si non necessaria et

(cfr. οἱ λεγόμενοι Χριστιανοί) epistolae authenthicae conserventur.

Ad eruditionem adiungimus legionem illam fuisse appellatam *Fulminatam* (Κεραυνοβόλος) multo tempore ante miraculum, sicut notavit Scaligerus; quapropter errat Apollinaris, qui ex fulminibus miraculosam pluviam comitantibus nomen illud repetit.

(1) Exstat apud EUSEBIUM epistola M. Aurelii Antonini imperatoris ad commune Asiae, in qua de christianis sic statuitur: « Quod « si quis adhuc pergit cuiquam « illorum negotium facessere ex « eo quod christianus sit, delatus « quidem crimine absolvatur, ta- « metsi constet eum reipsa chri- « stianum esse. Delator autem « ipse poenas luet » (*Hist. Eccl.* IV, 13, ed. LÄMMER 19). Porro a nonnullis epistola illa tribuitur Marco Aurelio, ab aliis Antonino Pio; eamque prae oculis habuisse videtur Tertullianus; nullam tamen habet auctoritatem, quia a criticis recentioribus apocrypha iudicatur. Cfr. MÖHLER, *Kirchengesch.*, trad. Gany, I, 213 sqq.; AUBÉ, *Histoire des persécutions*, p. 302 sqq.; *Saint Justin*, p. 59 sqq.; RENAN, *L'Eglise chrétienne*, p. 301 sqq.; ALLARD, *Histoire des persécutions pendant les deux premiers siècles*, p. 296 sqq.

(2) Tertullianus sua opinione ductus, qua mali tantum imperatores christianos persequerentur, plures facit amicos christianorum, qui inimici exstiterunt. Quamvis enim Vespasianus persecutionem contra christianos non excitaverit, tamen a Traiano ad M. Aurelium, christiani iugem persecutionem experti sunt, quae identidem solummodo mitigabatur. Ius damnandi christianos sancitum fuerat per rescriptum Traiani ad Plinium; auctoritas imperialis non promovebat inquisitionem, sed inquisitos poenis coërcebat.

aptissima quaeque disciplinae obliteraverunt.(1) Quonam illae leges abierunt sumptum et ambitionem comprimentes, qua centum aera non amplius in coenam subscribi iubebant, nec amplius quam unam inferri gallinam et eam non saginatam; quae patricium, quod decem pondo argenti habuisset, pro magno ambitionis titulo senatu submovebant, quae theatra stuprandis moribus orientia statim destruebant, quae dignitatum et honestarum natalium insignia non temere nec impune usurpari sinebant?(2)

Video enim et centenarias coenas a centenis iam sestertiis dicendas, et in lances — parum est, si senatorum et non libertinorum vel adhuc flagra rumpentium — argentaria metalla producta.(3) Video et theatra nec singula satis esse nec

(1) Ironice Tertullianus loquitur. Antea demonstraverat leges, prout bonum publicum exigit, mutari et deleri; nunc transgressionem ipsam legum ethnicis, qui legum auctoritatem christianis obiciebant, opponit. Tò *non* pertinet tum ad *necessaria* tum ad *aptissima*.

(2) Alludit Tertullianus in primis ad leges sumptuarias et cibarias, ut Faunia, Licinia, Cornelia, Aemilia, Aulia, Iulia erant (cfr. Gellius, *Noct. Att.* II, 24; Macrob. *Saturn.* III, 17; Plin. *Natur. hist.* X, 50); deinde ad leges morales, quae poenam infligebant omnibus, qui scenicam artem exercerent (cfr. August. *De Civit. Dei*, II, 13); denique ad leges quae moderabantur insignia personarum, secundum diversam earum conditionem (cfr. Tertull. *Adv. Iud.* 10; Ulpianus in *Digest.* XLVIII, tit. *de Iniur.* leg. 15). Patricius ille qui submotus est a Senatu *pro magno ambitionis titulo* seu crimine, quod decem pondo argenti habuisset, est P. Cornelius Rufus, qui a C. Fabricio Lucinio et Q. Aemilio Papo, censoribus romanis, a Senato expulsus est «quod eum «comperissent argenti facti coe«nae gratia, decem pondo ha«bere», ut ait Gellius (*Noct. Att.* XVII, 2) vel «quod decem «pondo vasa argentea comparas«set», ut dicit Valerius Maximus, *Memor.* II, 6, et Plinius, *Natur. hist.* XVIII, 6.

(3) *Coenae centenariae* iuxta legem Liciniam dicebantur a centum assibus, quos impendi licebat; sed nunc centenariae dicebantur a centum sestertiis. *Lances* vero ad cibos coenantibus ferendos, sive apud senatores sive apud libertinos, qui vix desierant flagra rumpere (servi enim flagris caedi solebant) et ex servitute exierant, ex metallis argenteis erant confectae.

nuda. Nam ne vel hieme voluptas impudica frigeret, primi Lacedaemonii paenulam ludis excogitaverunt.(1) Video et inter matronas atque prostibulas nullum de habitu discrimen relictum.(2)

Circa feminas quidem etiam illa maiorum instituta ceciderunt, quae modestiae, quae sobrietati patrocinabantur, cum aurum nulla norat praeter unico digito, quem sponsus oppignerasset pronubo anulo; cum mulieres usque adeo vino abstinerentur, ut matronam ob resignatos cellae vinariae loculos sui inedia necarint, sub Romulo vero quae vinum attigerat, impune a Metennio marito trucidata sit. Idcirco et oscula propinquis offerre etiam necessitas erat, ut spiritu (3) iudicarentur. Ubi est illa felicitas matrimoniorum de moribus utique prosperata, qua per annos ferme sexcentos ab Urbe condita nulla repudium domus scripsit? At nunc in feminis prae auro nullum leve est membrum, prae vino nullum liberum est osculum, repudium vero iam et votum est, quasi matrimonii fructus.(4)

(1) Contra antiquum morem Romani ludis adstabant paenula induti, ne frigus vel pluvia noceret.

(2) Aliam gerebant vestem matronae, aliam meretrices. Tempore Tertulliani quaelibet differentia sublata fuerat. Cfr. *De pallio*, 4; *De cult. femin.* II, 12.

(3) Mos erat vetustissimus ut sponsus in pignus futurarum nuptiarum annulum ferreum, quem pronubum vocabant, sponsae suae mitteret. Postea annulus ferreus in aureum commutatus est; imo « in feminis prae auro nullum leve « est membrum », ut statim Tertullianus subiungit. Similiter severe mulieres a vino prohibebantur. PLINIUS haec habet: « Invenimus inter exempla Egnatii « Mecenii uxorem, quod vinum « bibisset e dolio, interfectam fuisse « a marito, eumque caedis a Romulo absolutum. Fabius Pictor « in *Annalibus* suis scripsit matronam, quod loculos, in quibus « erant claves vinariae cellae, resignavisset, a suis inedia mori « coactam. Cato ideo propinquos « feminis osculum dare, ut scirent, « an temetum olerent. Hoc tum « nomen vino erat, unde et temulentia appellata » (*Natur. hist.* XIV, 13). *Spiritu* = halitu.

(4) Per sexcentos annos nullum divortium, sed postea frequentissimum evaserat. IUVENALIS te-

Etiam circa ipsos deos vestros quae prospecte decreverant patres vestri, iidem vos obsequentissimi rescidistis. Liberum patrem cum mysteriis suis consules senatus auctoritate non modo Urbe, sed universa Italia eliminaverunt.(1) Serapidem et Isidem et Arpocratem cum suo Cynocephalo Capitolio prohibitos inferri, id est curia deorum pulsos, Piso et Gabinius consules, non utique christiani, eversis etiam aris eorum abdicaverunt, turpium et otiosarum superstitionum vitia cohibentes.(2) His vos restitutis summam maiestatem contulistis.

Ubi religio, ubi veneratio maioribus debita a vobis? Habitu, victu, instructu,(3) sensu, ipso denique sermone proavis renunciatis. Laudatis semper antiquitatem, sed nove de die vivitis. Per quod ostenditur, dum a bonis maiorum institutis deceditis, ea vos retinere et custodire, quae non debuistis, cum quae debuistis non custodistis. Ipsum adhuc quod videmini fidelissime tueri a patribus traditum, in quo principaliter reos transgressionis christianos destinastis, studium dico deorum colendorum, de quo maxime erravit antiquitas, licet Serapidi iam romano aras restruxeritis, licet Baccho iam italico furias vestras immoletis, suo loco ostendam, proinde despici et negligi et destrui a vobis adversus maiorum auctoritatem.(4) Nunc enim ad illam occultorum

statur, unam uxorem *quinque per autumnos* octo habuisse viros (*Satir.* VI, 223). MARTIALIS Telesinam quamdam acriter corripit, quod intra unum mensem decies nupserat (*Epigr.* VI, 7). Alia apud alios scriptores invenies.

(1) Cum Posthumius consul nefanda horrendaque crimina, quae in mysteriis Liberi seu Bacchi committebantur, comperisset, senatusconsulto Romae et in tota Italia ritus illos abrogavit. Cfr. LIV. *Hist.* XXXIX, 9 sqq.

(2) Senatus prohibuerat turpissimum Serapidis cultum et statuas disiecerat; at populus violenter restituit. Piso et Gabinius consules, potiorem habentes senatus censuram, quam impetum vulgi, aras institui prohibuerunt. Cfr. TERTULL. *Ad nat.* 10. *Abdicaverunt* = quasi e deorum albo expunxerunt.

(3) *Instructu* = domestico apparatu.

(4) Ethnici christianos praecipue accusabant, quod contra maiorum traditionem cultum deorum dese-

facinorum infamiam respondebo, ut viam mihi ad manifestiora purgem.

VII. Dicimur sceleratissimi de sacramento infanticidii et pabulo inde et post convivium incesto, quod eversores luminum canes, lenones scilicet, tenebrarum et libidinum impiarum inverecundia procurent.(1) Dicimur tamen semper, nec vos quod tamdiu dicimur, eruere curatis. Ergo aut eruite, si creditis, aut nolite credere, qui non eruistis. De vestra vobis dissimulatione praescribitur, non esse quod nec ipsi audetis eruere. Longe aliud munus carnifici in christianos imperatis, non ut dicant quae faciunt, sed ut negent quod sunt.

Census (2) istius disciplinae, ut iam edidimus, a Tiberio est. Cum odio sui coepit veritas: simul atque apparuit, inimica est. Tot hostes eius quot extranei, et quidem proprie ex aemulatione Iudaei, ex concussione milites, ex natura ipsi etiam domestici nostri.(3) Quotidie obsidemur, quotidie prodimur in ipsis plurimum coetibus et congregationibus nostris opprimimur. Quis unquam taliter vagienti infanti supervenit? Quis cruenta, ut invenerat, Cyclopum et Sirenum ora iudici reservavit? (4) Quis vel in uxoribus aliqua immunda vestigia deprehendit? Quis talia facinora, cum invenisset, celavit aut vendidit ipsos trahens homines? Si semper latemus, quando proditum est quod admittimus?

ruissent. Tertullianus hic ostendit ipsos ethnicos descivisse a traditione maiorum.

(1) Cfr. Minuc. Fel. *Octav.* 9, 28.

(2) *Census* = origo.

(3) Iudaei oderant christianos *ex aemulatione* propter abrogationem legis Mosaicae; milites ethnici, *ex concussione* seu ex terrore incusso, christianos commilitones, ut gratiam imperatorum sibi acquirerent, prodebant; domestici vel servi, *ex natura* seu ex naturali aversione contra dominos, etiam christianis dominis nocebant.

(4) Cyclopes, monoculi homines, suos vorabant hospites. Sirenae navigantes cantus sui dulcedine sopitos, in mare proiciebant. Cfr. Virg. *Aen.* III, 617, sqq; Plin. *Nat. hist.* X, 49.

Imo a quibus prodi potuit? Ab ipsis enim reis non utique, cum vel ex forma [1] omnibus mysteriis silentii fides debeatur. Samothracia et Eleusinia reticentur, quanto magis talia, quae prodita interim etiam humanam animadversionem provocabunt, dum divina servantur? [2] Si ergo non ipsi proditores sui, sequitur ut extranei. Et unde extraneis notitia, cum semper etiam impiae initiationes arceant profanos et arbitris caveant, nisi si impii minus metuunt?

Natura famae omnibus nota est. Vestrum est: « Fama « malum, quo non aliud velocius ullum ». Cur malum fama? quia velox, quia index, an quia plurimum mendax? Quae ne tunc quidem, cum aliquid veri affert, sine mendacii vitio est, detrahens, adiiciens, demutans de veritate. Quid, quod ea illi conditio est, ut non nisi cum mentitur, perseveret, et tamdiu vivit, quamdiu non probat. Siquidem ubi probavit, cessat esse et quasi officio nunciandi functa rem tradit, et exinde res tenetur, res nominatur. Nec quisquam dicit verbi gratia: « Hoc Romae aiunt factum », aut: « Fama est, illum provinciam sortitum »; sed: « Sortitus est ille provinciam », et: « Hoc factum est Romae ».

Fama, nomen incerti, locum non habet, ubi certum est. An vero famae credat nisi inconsideratus? Quia sapiens non credit incerto. Omnium est aestimare, quantacumque illa ambitione diffusa sit, quantacumque asseveratione constructa, quod ab uno aliquando principe exorta sit necesse est. Exinde in traduces linguarum et aurium serpit [3], et ita modici seminis vitium cetera rumoris [4] obscurat, ut nemo

(1) *Ex forma* = ex lege.

(2) Omnes codices praeter Fuldensem (*divinitas servatur*) habent « divina servantur »; sensus est: divinae poenae servantur, praeter animadversionem humanam.

(3) Quantumvis fama, magno cum apparatu diffusa sit, quantumvis confidenter asseratur, omnes tamen opinantur et incerti manent de eo quod ab uno *principe* seu auctore initium sumpsit et dein *per traduces linguarum et aurium serpit*.

(4) *Cetera rumoris* = cetera rumoris vitia.

recogitet, ne primum illud os mendacium seminaverit, quod saepe fit aut ingenio aemulationis, aut arbitrio suspicionis, aut non nova, sed ingenita quibusdam mentiendi voluptate.

Bene autem quod omnia tempus revelat, testibus etiam vestris proverbiis atque sententiis, ex dispositione naturae, quae ita ordinavit, ut nihil diu lateat, etiam quod fama non distulit.(1) Merito igitur fama tamdiu conscia sola est scelerum christianorum. Hanc indicem adversus nos profertis, quae quod aliquando iactavit tantoque spatio in opinionem corroboravit, usque adhuc probare non valuit.

VIII. Ut fidem naturae ipsius appellem adversus eos, qui talia credenda esse praesumunt, ecce proponimus horum facinorum mercedem: vitam aeternam repromittunt.(2) Credite interim. De hoc enim quaero, an et qui credideris tanti habeas, ad eam tali conscientia pervenire?(3) Veni, demerge ferrum in infantem nullius inimicum, nullius reum, omnium filium;(4) vel si alterius officium est, tu modo adsiste morienti homini, antequam vixit; fugientem animam novam expecta, excipe rudem sanguinem, eo panem tuum satia, vescere libenter. Interea discumbens dinumera loca, ubi mater, ubi soror; nota diligenter, ut cum tenebrae ceciderint caninae, non erres. Piaculum enim admiseris, nisi incestum feceris.

(1) Ipsa proverbia et sententiae ethnicorum demonstrabant tempus omnia revelare, et sic fama vel confirmatur vel corrigitur. Hoc provenit ex dispositione naturae; etiam quod fama *non distulit* seu non mutavit: vel etiam quod fama *non diffudit*, diu non latet.

(2) Tertullianus infirmitatem argumenti extrinseci seu *famae* ad christianorum scelera probanda hucusque demonstraverat. Nunc impossibilitatem intrinsecam argumento psychologico seu ex spe aeternae vitae, quam christiani sibi pollicebantur, evincere contendit.

(3) *An et qui credideris, tanti vitam aeternam habeas, ad eam* seu ad vitam aeternam *cum tali conscientia pervenire*. Aliis verbis: fieri nequit, ut quis spem foveat consequendi vitam aeternam, cum tanta facinora committit.

(4) *Omnium filius*, quia, secundum ethnicorum calumniam, christiani promiscue concumbebant. Hinc filius omnium, quia incertus.

Talia initiatus et consignatus vivis in aevum. Cupio respondeas, si tanti aeternitas; aut si non ideo nec credenda.(1) Etiamsi credideris, nego te velle; etiamsi volueris, nego te posse. Cur ergo alii possint, si vos non potestis? cur non possitis, si alii possunt? Alia nos, opinor, natura; Cynopaene aut Sciapodes? (2) Alii ordines dentium, alii ad incestam libidinem nervi? Qui ista credis de homine, potes et facere: homo es et ipse, quod et christianus. Qui non potes facere, non debes credere.

Homo est enim et christianus, quod et tu.— Sed ignorantibus subicitur et imponitur. Nihil enim tale de christianis asseverari sciebant, observandum utique sibi et omni vigilantia investigandum.(3) Atquin volentibus initiari moris est, opinor, prius patrem illum sacrorum adire, quae praeparanda sint describere. Tum ille: « Infans, tibi necessarius adhuc tener, qui nesciat mortem, qui sub cultro tuo rideat; item panis, quo sanguinis virulentiam colligas; praeterea candelabra et lucernae et canes aliqui et offulae, quae illos ad eversionem luminum extendant. Ante omnia cum matre et sorore tua venire debebis ». Quid si noluerint vel nullae fuerint? quid denique singulares christiani? Non

(1) *Aut si non est tanti* aeternitas, *ideo nec credenda* facinora, quae christianis tribuuntur.

(2) *Cynopaene* seu *Cynocephali* (κύων = canis et κεφαλή = caput) monstra erant, quorum capita caninam formam habebant. *Sciapodes* vero (σκιά = umbra et πούς = pes) alia erant hominum fabulosa monstra, sic appellata quod « in « maiore aestu », teste PLINIO, « humi iacentes supini umbra se « pedum protegant » (*Natur. histor.* VII, 2).

(3) Duplicem interpretationem critici tradunt, prout verba *Nihil*= *investigandum* accipiuntur vel tamquam pars difficultatis, quod ignorantes mysteriis illis subicerentur, vel tamquam initium responsionis. Si primum, sensus est: Ignorantes circumveniuntur, quia hos rumores ignorant; ideoque non observant, non investigant. Sin alterum: Ignorantes circumveniuntur; sed hoc falsum est, quia rumores ubique vulgati sunt, ideoque debent initiandi omni cum diligentia observare et investigare veritatem rerum.

erit, opinor, legitimus christianus nisi frater aut filius.(1) Quid nunc, et si ista omnia ignaris praeparantur? Certe postea cognoscunt et sustinent et ignoscunt. Timent plecti, si proclament, qui defendi merebuntur; qui etiam ultro perire malint, quam sub tali conscientia vivere. Age nunc, timeant; cur etiam perseverant? Sequitur enim, ne ultra velis id te esse, quod si prius scisses, non fuisses.

IX. Haec quo magis refutaverim, a vobis fieri ostendam partim in aperto, partim in occulto, per quod forsitan et de nobis credidistis.(2) Infantes penes Africam Saturno immolabantur palam usque ad proconsulatum Tiberii, qui eosdem sacerdotes in eisdem arboribus templi sui obumbratricibus scelerum votivis crucibus exposuit, teste militia patriae nostrae, quae id ipsum munus illi proconsuli functa est.(3) Sed et nunc in occulto perseveratur hoc sacrum facinus. Non soli vos contemnunt christiani, nec ullum scelus in perpetuum eradicatur, aut mores suos alicui deus mutat.(4) Cum

(1) Plures difficultates sibi proponit Tertullianus in hypothesi veritatis facinoris christianorum. In primis *si noluerint* mater et soror cum initiando ad mysteria venire; deinde *si nullae fuerint* mater et soror, proindeque si christiani *singulares* seu sine matre et sorore exstiterint. Iuxta ethnicorum accusationem nemo poterat esse christianus legitimus, nisi fuisset *frater* et *filius*, seu nisi habuisset *sororem* et *matrem*, cum quibus incestum patraret.

(2) Tertullianus retorquet argumentum contra gentiles. Crimina, quibus christiani insimulantur, a gentilibus *partim in aperto, partim in occulto* committuntur.

(3) Cfr. MIN. *Octav.* 30. Historici non habent factum Tiberii, quod hic innuit Tertullianus; sed similia prorsus testantur; quemadmodum est prohibitio victimarum humanarum, quam Imperator tulit contra Druidas (PLIN. *Natur. hist.* XXX, 1). Circa gentilium templa sacra erant nemora, quae obumbrabant, iuxta phrasim Tertulliani, scelera sacerdotum. Tiberius coram militibus Africae, sacerdotes ipsos crucibus ex arboribus confectis affixit.

(4) Vos, leges et mores habetis, quibus a victimis humanis abhorretis easque damnatis. Sed leges vestrae vestrique mores non solum a christianis, sed etiam a Saturni cultoribus violantur, qui adhuc in occulto humanas victimas immolant.

propriis filiis Saturnus non pepercit, extraneis utique non parcendo perseverabat, quos quidem ipsi parentes sui offerebant, et libentes respondebant et infantibus blandiebantur, ne lacrimantes immolarentur. Et tamen multum homicidio parricidium differt.(1)

Maior aetas apud Gallos Mercurio prosecatur.(2) Remitto fabulas tauricas theatris suis. Ecce in illa religiosissima urbe Aeneadarum piorum est Iupiter quidam, quem ludis suis humano proluunt sanguine. Sed bestiarii, inquitis.(3) Hoc, opinor, minus quam hominis. An hoc turpius, quod mali hominis? certe tamen de homicidio funditur. O Iovem christianum et solum patris filium de crudelitate! (4)

Sed quoniam de infanticidio nihil interest, sacro an arbitrio perpetretur, licet parricidium homicidio intersit, convertar ad populum. Quot vultis ex his circumstantibus et in christianorum sanguinem hiantibus, ex ipsis etiam vobis iustissimis et severissimis in nos praesidibus apud conscientias pulsem, qui natos sibi liberos enecent? Siquidem et de genere necis differt, utique crudelius in aqua spiritum extorquetis, aut frigori et fami et canibus exponitis, ferro enim mori aetas quoque maior optaverit.(5) Nobis vero semel

(1) Parentes qui filios Saturno immolabant parricidium, christiani homicidium tantum patrabant. Maius ergo facinus ethnicorum quam christianorum erat.

(2) Cfr. Min. *Octav.* 30. *Maior aetas* intelligitur *quam aetas infantium.*

(3) Tertullianus exceptionem fingit: nos ethnici fundimus quidem sanguinem, sed *bestiarii*, seu vilissimi hominis, qui mercede operam bestiis trucidandis collocat.

(4) Exclamatio ironica est. Deum christianorum Tertullianus Iovem christianum appellat; ipse solus est vere filius Saturni patris secundum crudelitatem, quia solus filios sibi immolandos iubebat, non secus ac Saturnus filios suos voraverat.

(5) Auctor ad homicidii crimen ethnicis inurendum, infanticidia et abortus in medium profert. *Crudelius in aqua spiritum extorquetis,* quia ex opinione quorumdam philosophorum anima ignis erat, ideoque crudelior mors per aquam. *Ferro enim mori aetas quoque maior*

homicidio interdicto, etiam conceptum utero, dum adhuc sanguis in hominem delibatur, dissolvere non licet. Homicidii festinatio est prohibere nasci, nec refert, natam quis eripiat animam an nascentem disturbet. Homo est et qui est futurus; etiam fructus omnis iam in semine est.

De sanguinis pabulo et eiusmodi tragicis ferculis, legite, necubi relatum sit — est apud Herodotum, opinor — defusum brachiis sanguinem ex alterutro degustatum nationes quasdam foederi comparasse.(1) Nescio quid et sub Catilina degustatum est.(2) Aiunt et apud quosdam gentiles Scytharum defunctum quemque a suis comedi.(3) Longe excurro. Hodie istic Bellonae sacratos sanguis de femore proscisso in palmulam exceptus esui datus signat.(4) Item illi, qui munere in arena noxiorum iugulatorum sanguinem recentem, de iugulo decurrentem, exceptum avida siti comitiali morbo medentes hauserunt, ubi sunt?(5) item illi, qui de arena ferinis obsoniis coenant, qui de apro, qui de cervo petunt? Aper ille quem cruentavit, colluctando detersit; cervus ille in gladiatoris sanguine iacuit. Ipsorum ursorum alvei appetuntur cruditantes adhuc de visceribus humanis. Ructatur proinde ab homine caro pasta de homine.(6) Haec qui editis, quantum abestis a conviviis christianorum? Minus autem et illi faciunt, qui libidine fera humanis membris inhiant,

*optaverit* importat: adulti certo praetulissent mortem violentam per ferrum, quam diuturnam et languidam ad modum puerorum, qui *frigori et fami et canibus exponebantur*. Cfr. Minucii *Octavius*, 30.

(1) Cfr. Herod. *Hist.* I, 70, 74, ubi Scythas et Lydos testatur, hausto sanguine, foedera iniisse. Cfr. Tacit. *Ann.* XII, 47; Valer. Max. *Memor.* IX, 11.

(2) Cfr. Sallust. *De coniur. Catil.* 22.

(3) Cfr. Plin. *Natur. hist.* VI, 17; Herod. *Hist.* IV, 107; Eus. *Praep. evang.* III, 4.

(4) Cfr. Min. *Octav.* 30.

(5) Cfr. Min. *Octav.* 30.

(6) Cfr. Min. *Octav.* 30. Aper sanguine illius madet, quem cruentavit. *Alvei cruditantes ursorum,* si vera lectio est, sunt alvei pleni carnibus humanis adhuc indigestis.

quia vivos vorant? minus humano sanguine ad spurcitiam consecrantur, quia futurum sanguinem lambunt? Non edunt infantes plane, sed magis puberes.

Erubescat error vester christianis, qui ne animalium quidem sanguinem in epulis esculentis habemus, qui propterea suffocatis quoque et morticinis abstinemus, ne quo modo sanguine contaminemur vel intra viscera sepulto. (1) Denique inter tentamenta christianorum botulos etiam cruore distentos admovetis, certissimi scilicet, illicitum esse penes illos, per quod exorbitare eos vultis. (2) Porro quale est, ut quos sanguinem pecoris horrere confiditis, humano inhiare credatis, nisi forte suaviorem eum experti? Quem quidem et ipsum proinde examinatorem christianorum adhiberi oportebat, ut foculum, ut acerram. (3) Proinde enim probarentur sanguinem humanum appetendo quemadmodum sacrificium respuendo; alioquin negandi, si non gustassent, quemadmodum si immolassent. Et utique non deesset vobis in auditione custodiarum et damnatione sanguis humanus.

Proinde incesti qui magis quam quos ipse Iupiter docuit? (4) Persas cum suis matribus misceri Ctesias refert. (5) Sed et Macedones suspecti, quia, cum primum *Oedipum* tragoediam audissent, ridentes incesti dolorem: Ἤλαυνε, dice-

(1) Cfr. *Act.* XV, 20.

(2) Ad christianos tentandos et a fide removendos ethnici offerebant *botulos cruore distentos* seu farcimina sanguine repleta, quia sciebant eorum esum christianis non licere.

(3) Si christiani sanguinem humanum appetunt, *sanguinem humanum* adhibete, tamquam *examinatorem*, non secus ac adhibetis *foculum* et *acerram*. Sicut christianum se prodit qui sacrificare non vult, ita qui sanguinem humanum appetit. Nec vobis deficit sanguis humanus, cum tantum effundatis in iudiciis et damnatione *custodiarum*, seu illorum, qui in carcere detinentur.

(4) Ipse Iupiter exemplo incestum docuerat, proinde qui magis incesti, quam ethnici? Tertullianus etiam hoc crimen contra ethnicos retorquet. Cfr. MIN. *Octav.* 31.

(5) Cfr. *Ad nat.* I, 16.

bant, εἰς τὴν μητέρα.(1) Iam nunc recogitate, quantum liceat erroribus ad incesta miscenda, suppeditante materias passivitate luxuriae. (2) Inprimis filios exponitis suscipiendos ab aliqua praetereunte misericordia extranea, vel adoptandos melioribus parentibus emancipatis. Alienati generis necesse est quandoque memoriam dissipari. Et simul error impegerit, exinde iam tradux proficiet incesti serpente genere cum scelere. Tunc deinde quocumque in loco domi, peregre, trans freta comes est libido, cuius ubique saltus facile possunt alicubi ignaris filios pangere vel ex aliqua seminis portione, uti adspersum genus per commercia humana concurrat in memorias suas, neque eas coecus incesti sanguinis agnoscat.

Nos ab isto eventu diligentissima et fidelissima castitas sepsit, quantumque a stupris et ab omni post matrimonium excessu, tantum et ab incesti casu tuti sumus. Quidam multo securiores totam vim huius erroris virgine continentia depellunt, senes pueri. (3) Haec in vobis esse si consideraretis, (4) proinde in christianis non esse perspiceretis. Idem oculi renunciassent utrumque. Sed coecitatis duae species facile concurrunt, ut qui non vident quae sunt, videre videantur quae non sunt. Sic per omnia ostendam. Nunc de manifestioribus dicam.

X. Deos, inquitis, non colitis, et pro imperatoribus sacrificia non penditis. Sequitur, ut eadem ratione pro aliis non sacrificemus, quia nec pro nobis ipsis, semel deos non colendo. Itaque sacrilegii et maiestatis rei convenimur.

(1) Cfr. *Ad nat.* I, 16. Agita matrem tuam et imitare Oedipum.

(2) Propter *passivitatem luxuriae* seu promiscuos concubitus, suppeditabantur ethnicis materiae seu personae, cum quibus incestum patrarent, quia infantes ex fornicatione exponebantur, et pereunte memoria, cum parentibus, adulti iam effecti, turpiter miscebantur.

(3) En argumentum pro vita christianorum in perpetua castitate transacta, iuxta consilium evangelicum. *Senes pueri* = in senectute casti erant ut pueri. Cfr. Min. *Octav.* 34.

(4) *Haec*, scil. crimina, *in vobis esse si consideraretis*, etc.

Summa haec causa, imo tota est, et utique digna cognosci, si non praesumptio aut iniquitas iudicet, altera quae desperat, altera quae recusat veritatem.

Deos vestros colere desinimus, ex quo illos non esse cognoscimus. Hoc igitur exigere debetis, uti probemus, non esse illos deos, et idcirco non colendos, quia tunc demum coli debuissent, si dei fuissent. Tunc et christiani puniendi, si quos non colerent, quia putarent non esse, constaret, illos deos esse. — Sed nobis, inquitis, dei sunt. — Appellamus et provocamus a vobis ad conscientiam vestram; illa nos iudicet, illa nos damnet, si poterit negare, omnes istos deos vestros homines fuisse. Si et ipsa inficias ierit, de suis antiquitatum instrumentis revincetur, de quibus eos didicit, testimonium perhibentibus ad hodiernum et civitatibus, in quibus nati sunt et regionibus in quibus aliquid operati vestigia reliquerunt, in quibus etiam sepulti demonstrantur.

Nunc ergo per singulos decurram tot ac tantos novos, veteres, barbaros, graecos, romanos, peregrinos, captivos, adoptivos, proprios, communes, masculos, feminas, rusticos, urbanos, nauticos, militares? Otiosum est etiam titulos persequi; ut colligam in compendium, et hoc non quo cognoscatis, sed recognoscatis; certe enim oblitos agitis. Ante Saturnum deus penes vos nemo est; ab illo census totius vel potioris et notioris divinitatis. Itaque quod de origine constiterit, id et de posteritate conveniet. Saturnum itaque, si quantum literae docent, neque Diodorus graecus aut Thallus, neque Cassius Severus aut Cornelius Nepos, neque ullus commentator, eiusmodi antiquitatum aliud quam hominem promulgaverunt; (1) si quantum rerum argumenta, nusquam invenio fideliora, quam apud ipsam Italiam, in qua Saturnus post multas expeditiones postque Attica hospitia consedit, exceptus a Iano, vel Iane, ut Salii (2) volunt. Mons, quem

(1) Cfr. Min. *Octav.* 21.

(2) Cfr. Min. *Octav.* 21.

incoluerat, Saturnius dictus, civitas, quam depalaverat, Saturnia usque nunc est; tota denique Italia post Oenotriam Saturnia cognominabatur. Ab ipso primum tabulae et imagine signatus nummus, et inde aerario praesidet. Tamen si homo Saturnus, utique ex homine; et quia ab homine, non utique de caelo et terra. Sed cuius parentes ignoti erant, facile fuit eorum (1) filium dici, quorum et omnes possumus videri. Quis enim non caelum ac terram matrem ac patrem venerationis et honoris gratia appellet, vel ex consuetudine humana, qua ignoti vel ex inopinato apparentes de caelo supervenisse dicuntur? Proinde Saturno repentine ubique caelitem contigit dici; nam et terrae filios vulgus vocat, quorum genus incertum est. Taceo quod ita rudes adhuc homines agebant, ut cuiuslibet novi viri adspectu quasi divino commoverentur, cum hodie iam politi quos ante paucos dies luctu publico mortuos sint confessi, in deos consecrent. Satis iam de Saturno, licet paucis. Etiam Iovem ostendimus tam hominem quam ex homine, et deinceps totum generis examen tam mortale quam seminis sui par. (2)

XI. Et quoniam sicut illos homines fuisse non audetis negare, ita post mortem deos factos instituistis asseverare, causas, quae hoc exegerint, retractemus. In primis quidem necesse est concedatis, esse aliquem sublimiorem deum et mancipem (3) quendam divinitatis, qui ex hominibus deos fecerit. Nam neque sibi illi sumere potuissent divinitatem, quam non habebant, nec alius praestare eam non habentibus,

(1) *Eorum* = caeli et terrae, quorum filius iuxta Mythologiam dicebatur Saturnus. Omnes homines possunt dici filii caeli et terrae.

(2) Totum *examen* seu turba deorum mortalis est eodem modo ac Saturnus et Iupiter, a quibus descendunt et cum quibus parem habent divinitatem.

(3) *Manceps* iuridica vox est, quae a *manu capio* derivatur. *Mancipes viarum* erant qui vias sternendas conducebant. Tertullianus huiusmodi nomen ad divinitatem transfert, et supremum quendam deum intelligit, qui divinitatem custodit et ceteris distribuit. Cfr. *De idolol.* I; *De pudicit.* 14.

nisi qui proprie possidebat. Ceterum si nemo esset, qui deos faceret, frustra praesumitis, deos factos auferendo factorem. Certe quidem si ipsi se facere potuissent, nunquam homines fuissent, possidentes scilicet conditionis melioris potestatem.

Igitur si est qui faciat deos, revertor ad causas examinandas faciendorum ex hominibus deorum, nec ullas invenio, nisi si ministeria et auxilia officiis divinis desideravit ille magnus deus. Primo indignum est, ut alicuius opera indigeret, et quidem mortui, cum dignius ab initio deum aliquem fecisset, qui mortui erat operam desideraturus. Sed nec operae locum video. Totum enim hoc mundi corpus sive innatum et infectum secundum Pythagoram, sive natum factumve secundum Platonem, semel utique in ista constructione dispositum et instructum et ordinatum cum omni rationis gubernaculo inventum est. Imperfectum non potuit esse, quod perfecit omnia. Nihil Saturnum et Saturniam gentem exspectabat. Vani erunt homines, nisi certi sint, a primordio et pluvias de caelo ruisse et sidera radiasse et lumina floruisse et tonitrua mugisse et ipsum Iovem quae in manu eius ponitis fulmina timuisse; item omnem frugem ante Liberum, Cererem et Minervam, imo ante illum aliquem principem hominem de terra exuberasse, quia nihil continendo et sustinendo homini prospectum post hominem potuit inferri. (1) Denique invenisse dicuntur necessaria ista vitae, non instituisse. Quod autem invenitur, fuit, et quod fuit, non eius deputabitur qui invenit, sed eius qui instituit; erat enim antequam inveniretur. Ceterum si propterea Liber deus, quod vitem demonstravit, male cum Lucullo actum est, qui primus cerasia ex Ponto Italiae promulgavit, (2) quod non est propterea consecratus ut

(1) Omnia quae erant necessaria ad hominis sustentationem et conservationem, ante hominem esse debuerunt.

(2) L. Licinius Lucullus, Romanorum ditissimus, a. 680 ab U. C. post victoriam Mithridaticam cerasa ex Ponto in Italiam asporta-

frugis novae auctor, quia ostensor. Quamobrem si ab initio et instructa et certis exercendorum officiorum suorum rationibus dispensata universitas constitit, vacat ex hac parte causa allegendae humanitatis in divinitatem, quia quas illis stationes et potestates distribuistis, tam fuerunt ab initio quam et fuissent, etiamsi deos istos non creassetis.

Sed convertimini ad causam aliam, respondentes, collationem divinitatis meritorum remunerandorum fuisse rationem. Et hinc concedetis, opinor, illum deum deificum iustitia praecellere, qui non temere nec indigne nec prodige tantum praemium dispensarit. Volo igitur merita recensere, an eiusmodi sint, ut illos in caelum extulerint et non potius in imum tartarum merserint, quem carcerem poenarum infernarum, cum vultis, affirmatis. Illuc enim abstrudi solent impii quique in parentes et incesti in sorores et maritorum adulteri et virginum raptores et puerorum contaminatores et qui saeviunt, et qui occidunt, et qui furantur, et qui decipiunt et quicumque similes sunt alicuius dei vestri, quem neminem integrum a crimine aut vitio probare poteritis, nisi hominem negaveritis.

Atquin ut homines illos fuisse non possitis negare, etiam istae notae accedunt, quae nec deos postea factos credi permittunt. Si enim vos talibus puniendis praesidetis, si commercium, colloquium, convictum malorum et turpium probi quique respuitis, horum autem pares deus ille maiestatis suae consortio adscivit, quid ergo damnatis quorum collegas adoratis? Suggillatio est in caelo vestra iustitia. (1) Deos facite criminosissimos quosque, ut placeatis deis vestris. Illorum est honor consecratio coaequalium.

Sed ut omittam huius indignitatis retractatum, probi et integri et boni fuerint, quot tamen potiores viros apud inferos

vit, iuxta HIERONYMUM, (*Ep. XXIII ad Eustoch.*) *a Cerasunto*, unde ortum nomen est. Cfr. PLIN. *Nat. hist.* XV, 25.

(1) Iustitia vestra, qua iuxte punitis reos, est reprehensio deorum vestrorum, qui similia crimina patrarunt.

reliquistis? aliquem de sapientia Socratem, de iustitia Aristidem, de militia Themistoclem, de sublimitate Alexandrum, de felicitate Polycratem, de copia Croesum, de eloquentia Demosthenem. Quis ex illis deis vestris gravior et sapientior Catone, iustior et militarior Scipione? quis sublimior Pompeio, felicior Sylla, copiosior Crasso, eloquentior Tullio? Quanto dignius istos deos ille adsumendos exspectasset, praescius utique potiorum? Properavit, opinor, et caelum semel clausit et nunc utique melioribus apud inferos mussitantibus erubescit.

XII. Cesso iam de isto, ut qui sciam, me ex ipsa veritate demonstraturum, quid non sint, cum ostendero, quid sint. Quantum igitur de deis vestris,(1) nomina solummodo video quorundam veterum mortuorum et fabulas audio et sacra de fabulis recognosco. Quantum autem de simulacris ipsis, nihil aliud reprehendo,(2) quam materias sorores esse vasculorum instrumentorumque communium, vel ex iisdem vasculis et instrumentis quasi fatum consecratione mutantes licentia artis transfigurante, et quidem contumeliosissime et in ipso opere sacrilege, ut revera nobis maxime, qui propter ipsos deos plectimur, solatium poenarum esse possit, quod eadem et ipsi patiuntur, ut fiant.(3)

Crucibus et stipitibus imponitis christianos. Quod simulacrum non prius argilla deformat cruci et stipiti superstructa? in patibulo primum corpus dei vestri dedicatur.(4) Ungulis deraditis latera christianorum. At in deos vestros per omnia membra validius incumbunt asciae et runcinae et

(1) Subintelligitur *audio*. Explicari etiam potest: quantum ad deos vestros attinet.

(2) *Reprehendo* = deprehendo.

(3) *Ut fiant* intellige *dii*.

(4) Artifices cum aliquod simulacrum *deformare* seu effingere volebant, erectum stipitem collocabant, cui corpus circumstruebant, simulque lignum quoddam transversum, ut brachia efformarent. Sic deus ipse ethnicorum, non aliter quam christiani, crucibus affigebatur. Cfr. MIN. *Octav.* 23.

scobinae.[1] Cervices ponimus. Ante plumbum et glutinum et gomphos sine capite sunt dei vestri.[2] Ad bestias impellimur. Certe quas Libero et Cybele et Coelesti applicatis.[3] Ignibus urimur. Hoc et illi a prima quidem massa. In metalla damnamur. Inde censentur dei vestri. In insulis religamur. Solet et in insula aliqui deus vester aut nasci aut mori. Si per haec constat divinitas aliqua, ergo qui puniuntur, consecrantur et numina erunt dicenda supplicia.

Sed plane non sentiunt has iniurias et contumelias fabricationis suae dei vestri, sicut nec obsequia. — O impiae voces, o sacrilega convicia! —[4] Infrendite, inspumate![5] Iidem estis, qui Senecam aliquem pluribus et amarioribus de vestra superstitione perorantem reprehendistis. Igitur si statuas et imagines frigidas, mortuorum suorum simillimas non adoramus, quas milvi et mures et araneae intelligunt, nonne laudem magis quam poenam merebatur repudium agniti erroris? Possumus enim videri laedere eos, quos certi sumus omnino non esse? Quod non est, nihil ab ullo patitur, quia non est.

XIII. — Sed nobis dei sunt, inquis. — Et quomodo vos e contrario impii et sacrilegi et irreligiosi erga deos vestros deprehendimini, qui quos praesumitis esse, negligitis; quos timetis, destruitis, quos etiam vindicatis, illuditis? Recogno-

(1) *Asciae* ad dolandum, *runcinae* seu serrae maiores ad secandum, *scabinae* seu limae ad perpoliendum numen *incumbunt*.

(2) *Cervices ponimus* seu capita christianis abscinduntur. Similiter numina ethnicorum *sine capite* erant, antequam adhiberetur *plumbum* in statuis ex metallo, *glutinum* in statuis ex argilla vel limo, et *gomphi* (γόμφος) seu clavi in colossis quibus caput trunco coniungebatur.

(3) Ethnici applicabant bestias ad currus deorum trahendos; sicut tigres pro Libero, leones pro Cybele, pro Caeleste vero, si intelligatur Ceres angues, si Venus olores et columbas, si Iuno equos; christiani, in amphitheatris, bestiis obiciebantur.

(4) Tertullianus oratorio modo exclamationem ethnicorum sibi proponit.

(5) Tertullianus respondet ad praecedentem exceptionem.

scite, si mentior. Primo qui cum alii alios colitis, utique quos non colitis, offenditis. Praelatio alterius sine alterius contumelia non potest procedere, quia nec electio sine reprobatione. Iam ergo contemnitis quos reprobatis, quos reprobando offendere non timetis. Nam ut supra praestrinximus, status dei cuiusque in senatus aestimatione pendebat. Deus non erat, quem homo consultus noluisset et nolendo damnasset.

Domesticos deos, quos Lares dicitis, domestica potestate tractatis pignerando, venditando, demutando aliquando in caccabulum de Saturno, aliquando in trullam de Minerva, ut quisque contritus atque contusus est, dum diu colitur, ut quisque dominus sanctiorem expertus est domesticam necessitatem. (1) Publicos aeque publico iure foedatis, quos in hastario vectigales habetis. Sic Capitolium, sic Olitorium forum petitur; sub eadem voce praeconis, sub eadem hasta, sub eadem annotatione quaestoris divinitas addicta condicitur. (2) Sed enim agri tributo onusti viliores, hominum capita stipendio censa (3) ignobiliora, nam hae sunt notae capti-

(1) Cum simulacra deorum conterebantur, vel cum necessitas, sanctior quam deus, dominum cogebat, numina illa ethnicorum pignorabantur et venditabantur, quandoque etiam in vasa immundissima convertebantur.

(2) « *Hastarium* est liber hastarius seu tabularium et regestum « vectigaliorum, quae sub hasta « et voce praeconis quinquennio « quoque addici redemptoribus so« lebant. Sic foricae conduce« bantur, sic forum Olitorium (in « quo olera vendebantur) et alia « huiusmodi publica; nam et Se« rapea et Capitolia eodem iure « proscripta. Denique sub eadem « hasta et Capitolium et Olitorium « addicebantur petenti redemptori. « Sed quid transibat ad redempto« rem ea addictione? Hoc vide« licet, ut Olitorio foro in quin« quennium addicto ex mercimo« niis, quae inibi toto eo tempore « proponerentur, certas stipes co« geret; similiter Capitolio con« ducto, exigeret mercedes (ab iis « qui illud frequentabant) pro iis, « quae notat ipse TERTULLIANUS « (*Ad nat.* I, 10) pro solo templi, « pro aditu sacri, pro stipitibus, « pro ostiis »; RIGAULT.

(3) Homines qui obnoxii erant exactioni capitum, ignobiliores censebantur.

vitatis; dei vero, qui magis tributarii, magis sancti, imo qui magis sancti, magis tributarii. Maiestas quaestuaria efficitur; circuit cauponas religio mendicans. (1) Exigitis mercedem pro solo templi, pro aditu sacri; non licet deos nosse gratis, venales sunt.

Quid omnino ad honorandos eos facitis, quod non etiam mortuis vestris conferatis? (2) Aedes proinde, aras proinde. Idem habitus et insignia in statuis; ut aetas, ut ars, ut negotium mortui fuit, ita deus est. Quo differt ab epulo Iovis silicernium, a simpulo obba, ab haruspice pollinctor? Nam et haruspex mortuis apparet. (3)

Sed digne imperatoribus defunctis honorem divinitatis dicatis, quibus et viventibus eum addicitis. Accepto ferent dei vestri, imo gratulabuntur, quod pares eis fiant domini sui. (4) Sed cum Larentinam, publicum scortum, velim saltem Laïdem aut Phrynen (5) inter Iunones et Cereres et Dianas adoretis; cum Simonem magum statua et inscriptione sancti Dei inauguratis, cum de paedagogiis aulicis nescio quem synodi deum facitis, licet non nobiliores dei veteres, tamen contumeliam a vobis deputabunt, hoc et aliis licuisse, quod solis antiquitas contulit. (6)

XIV. Nolo et ritus vestros recensere, non dico quales

(1) Sacerdotes Cybeles stipem ostiatim colligebant.

(2) Imperatores mortui iisdem honoribus colebantur ac numina.

(3) « *Epulum* coena est Iovi iam « grandi deo sacra; *silicernium* pro- « prie erat convivium funebre se- « nibus exhibitum. *Simpulum* vel « *simpuvium* vas erat, quo in sa- « crificiis vinum libabatur; *obba* « vero erat vasis ventricosi genus, « quo diis manibus litabatur »; LE PRIEUR. *Pollinctor* erat qui mortuorum corpora ungebat et curabat. Non differebat ab *haruspice*, quia haruspex circa cadavera occupabatur.

(4) Imperatores pro sua auctoritate deos constituebant; hinc dicit Tertullianus dii contenti erunt et gratias agent, quod *domini sui* inter numina referantur.

(5) Cfr. MIN. *Octav.* 25. Laïs et Phrynes erant meretrices, sicut Acca Laurentia.

(6) Videtur auctor respicere Antinoum, quem Hadrianus adeo perdite dilexit, ut inter deos recenseret.

sitis in sacrificando, cum enecta et tabidosa et scabiosa quaeque mactatis, cum de opimis et integris supervacua quaeque truncatis, capitula et ungulas, quae domi quoque pueris vel canibus destinassetis, cum de decima Herculis nec tertiam partem in aram eius imponitis: laudabo magis sapientiam, quod de perdito aliquid eripitis.(1)

Sed conversus ad literas vestras, quibus informamini ad prudentiam et liberalia officia, quanta invenio ludibria! Deos inter se propter Troianos et Achivos ut gladiatorum paria congressos depugnasse; Venerem humana sagitta sauciatam, quod filium suum Aeneam paene interfectum ab eodem Diomede rapere vellet; Martem tredecim mensibus in vinculis paene consumptum; Iovem, ne eandem vim a ceteris caelitibus experiretur, opera cuiusdam monstri liberatum, et nunc flentem Sarpedonis casum, nunc foede subantem in sororem sub commemoratione non ita dilectarum iampridem amicarum.(2) Exinde quis non poëta ex auctoritate principis sui(3) dedecorator invenitur deorum? Hic Apollinem Admeto regi pascendis pecoribus addicit; ille Neptuni structorias operas Laomedonti locat. Est et ille de lyricis, Pindarum dico, qui Aesculapium canit avaritiae merito, quia medicinam nocenter exercebat, fulmine iudicatum. Malus Iupiter, si fulmen illius est, impius in nepotem, invidus in artificem. Haec neque vera prodi neque falsa confingi apud religiosissimos oportebat. Nec tragici quidem aut comici parcunt, ut non aerumnas vel errores domus alicuius dei praefentur. Taceo de philosophis, Socrate contentus, qui in contumeliam deorum quercum et hircum et canem deierabat.(4) Sed propterea damnatus est Socrates, quia deos destruebat. Plane

(1) Quod ethnici diis offerebant, *perditum* erat. Ouapropter merito Tertullianus ironico modo sapientiam eorum laudat, qui ex muneribus offerendis quaedam eripiebant.

(2) Cfr. Min. *Octav.* 23.

(3) *Principis sui* = Homeri.

(4) Socrates iurabat per quercum et hircum et canem *in contumeliam deorum*.

olim, id est semper, veritas odio est. Tamen cum poenitentia sententiae Athenienses et criminatores Socratis postea afflixerint et imaginem eius auream in templo collocarint, rescissa damnatio testimonium Socrati reddidit. (1) Sed et Diogenes nescio quid in Herculem ludit, et romanus cynicus Varro trecentos Ioves, sive Iupitros dicendos, sine capitibus introducit. (2)

XV. Cetera lasciviae ingenia etiam voluptatibus vestris per deorum dedecus operantur.(3) Dispicite Lentulorum et Hostiliorum venustates, utrum mimos an deos vestros in iocis et strophis rideatis: moechum Anubin et masculum Lunam et Dianam flagellatam et Iovis mortui testamentum recitatum et tres Hercules famelicos irrisos. (4) Sed et histrionum literae omnem foeditatam eorum designant. Luget Sol filium de caelo iactatum laetantibus vobis, (5) et Cybele pastorem suspirat fastidiosum non erubescentibus vobis, (6) et sustinetis Iovis elogia cantari et Iunonem, Venerem, Minervam a pastore iudicari. (7) Ipsum quod imago dei vestri ignominiosum caput et famosum vestit, quod corpus impurum et ad istam artem effeminatione productum Minervam aliquam

(1) Cum Athenienses, poenitentes sententiae damnationis in Socratem, *criminatores afflixerint* et *imaginem eius auream in templo collocarint,* testimonium opinioni Socratis circa deos reddiderunt.

(2) Quid sibi vult *sine capitibus?* Fortassis quia figmenta phantasiae erant.

(3) *Cetera lasciviae ingenia* seu artes *etiam voluptatibus vestris operantur* seu serviunt *per deorum dedecus,* exponendo scilicet deos vestros omnium irrisioni.

(4) Lentulus et Hostilius celeberrimi histriones fuisse videntur. Tertullianus ethnicos invitat, ut considerent utrum mimos an deos qui a mimis repraesentabantur, irriderent.

(5) *Sol* seu Phoebus lugebat Phaetontem *filium,* quia currum ducere ignorans, a Iove fulmine percussus fuerat et a caelo deiectus.

(6) *Pastor fastidiosus,* seu spernens amores Cybelis, Atys est. Cfr. MIN. *Octav.* 22.

(7) *Paris* pastor in monte Ida a pastoribus educatus, iudex a Iove electus est in controversia *de pomo Discordiae* inter Iunonem, Palladem et Venerem.

vel Herculem repraesentat, nonne violatur maiestas et divinitas constupratur laudantibus vobis? (1)

Plane religiosiores estis in cavea, ubi super sanguinem humanum, super inquinamenta poenarum proinde saltant dei vestri, argumenta et historias noxiis ministrantes, nisi quod et ipsos deos vestros saepe noxii induunt. (2) Vidimus aliquando castratum Atyn, illum deum ex Pessinunte, et qui vivus ardebat, Herculem induerat. (3) Risimus et inter ludicras meridianorum crudelitates Mercurium mortuos cauterio examinantem; vidimus et Iovis fratrem gladiatorum cadavera cum malleo deducentem. (4) Singula ista quaeque adhuc investigare quis posset. Si honorem inquietant divinitatis, si maiestatis vestigia obsoletant, de contemptu utique censentur tam eorum, qui eiusmodi factitant, quam eorum, quibus factitant.

Sed ludicra ista sint! Ceterum si adiciam, quae non minus conscientiae omnium recognoscent, in templis adulteria componi, inter aras lenocinia tractari, in ipsis plerumque aedituorum et sacerdotum tabernaculis, sub iisdem vittis et apicibus et purpuris, thure flagrante, libidinem expungi, (5)

(1) Histriones larvis caput imponebant in scenicis repraesentationibus.

(2) Cavea tres partes habebat: summam a feminis, media a populo, infima a nobilioribus viris occupabatur. Hic Tertullianus nomine *caveae* designat arenam amphitheatri, in qua pugnabant gladiatores. Sensus verborum est: « Post gladiatorum certamen, pan- « tomimus, sumpta dei alicuius « larva ac persona, descendebat in « arenam et saltabat supra cor- « pora occisorum aut animam ex- « halantium *noxiorum,* id est illo- « rum qui ob crimina sua con- « demnati, cum bestiis decertare « cogebantur »; LE NOURRY.

(3) Actores repraesentabant et Atyn castratum et Herculem ardentem. Cfr. MIN. *Octav.* 22.

(4) *Risimus et inter ludicras meridianorum* (gladiatorum) *crudelitates Mercurium mortuos* seu occisos *cauterio* seu ferro candente *examinantem* an revera mortui essent; *vidimus et Iovis fratrem* (Plutonem) *gladiatorum cadavera cum malleo deducentem,* in spoliarium nempe, ubi gladiatores victi et letali vulnere affecti, interimebantur.

(5) *Expungi* = perfici. Cfr. MIN. *Octav.* 25.

nescio, ne plus de vobis dei vestri quam de christianis querantur. Certe sacrilegi de vestris semper apprehenduntur. Christiani enim templa nec interdiu norunt. Spoliarent forsitan ea et ipsi, si et ipsi ea adorarent.

Quid ergo colunt qui talia non colunt? (1) Iam quidem intelligi subiacet, veritatis esse cultores qui mendacii non sint, nec errare amplius in eo, in quo errasse se recognoscendo cessaverunt. Hoc prius capite et omnem hinc sacramenti nostri ordinem haurite, repercussis ante tamen opinionibus falsis. (2)

XVI. Nam, ut quidam, somniastis, caput asininum esse deum nostrum. Hanc Cornelius Tacitus suspicionem eiusmodi inseruit. Is enim in quinta *Historiarum* suarum bellum Iudaicum exorsus ab origine gentis, etiam de ipsa tam origine quam de nomine et religione gentis quae voluit argumentatus, Iudaeos refert Aegypto expeditos (3) sive, ut putavit, extorres vastis Arabiae in locis et aquarum egentissimis cum siti macerarentur, onagris, qui forte de pastu potum petituri aestimabantur, indicibus fontis usos, ob eam gratiam consimilis bestiae superficiem (4) consecrasse. Atque ita inde praesumptum opinor, nos quoque ut iudaicae religionis propinquos eidem simulacro initiari. At enim idem Cornelius Tacitus, sane ille mendaciorum loquacissimus, in eadem *Historia* refert, Cneium Pompeium, cum Hierusalem cepisset propertereaque templum adisset speculandis iudaicae religionis arcanis, nullum illic reperisse simulacrum. Et utique si id colebatur, quod aliqua effigie repraesentabatur, nusquam magis quam in sacrario suo exhiberetur, eo magis, quia nec verebatur extraneos arbitros quamquam vana cultura. (5) Solis enim sacerdotibus adire licitum; etiam conspectus ceterorum

(1) Christiani.

(2) *Repercussis* = reiectis.

(3) *Expeditos* intellige a laboribus Aegyptiorum.

(4) *Superficiem* = caput.

(5) In sacrarium *extranei arbitri* penetrare non poterant, quia *solis sacerdotibus* reservatum.

velo obpanso interdicebatur. Vos tamen non negabitis, et iumenta omnia et totos cantherios cum sua Epona coli a vobis.(1) Hoc forsitan improbamur, quod inter cultores omnium pecudum bestiarumque asinarii tantum sumus.(2)

Sed et qui crucis nos religiosos putat consecraneus(3) erit noster. Cum lignum aliquod propitiatur, viderit habitus, dum materiae qualitas eadem sit; viderit forma, dum id ipsum dei corpus sit.(4) Et tamen quanto distinguitur a crucis stipite Pallas Attica et Ceres Pharia, quae sine effigie rudi palo et informi ligno prostant?(5) Pars crucis est omne robur, quod erecta statione defigitur.(6) Nos, si forte, integrum et totum deum colimus. Diximus originem deorum vestrorum a plastis de cruce induci. Sed et Victorias adoratis, cum in tropaeis cruces intestina sint tropaeorum.(7) Religio Romanorum tota castrensis signa veneratur, signa iurat, signa omnibus deis praeponit. Omnes illi imaginum suggestus insignes monilia crucum sunt; siphara illa vexillorum et cantabrorum stolae crucum sunt.(8) Laudo diligentiam; noluistis incultas et nudas cruces consecrare.

Alii plane humanius et verisimilius solem credunt deum

(1) Cfr. MIN. *Octav.* 28.

(2) *Asinarii* = Cultores asini.

(3) *Consecraneus* = particeps similis cultus.

(4) Cum vos colitis aliquod lignum, parum refert, quod forma et figura ipsius a cruce differant, si eadem est materia et veluti corpus crucis et idoli. Igitur consecranei nostri estis.

(5) Pallas Attica et Ceres Pharia, quae repraesentabantur *rudi palo* et *informi ligno,* sine ulla effigie, a cruce christianorum non differebant.

(6) Tale lignum erectum est saltem pars crucis, licet crux integra non sit.

(7) Vos, ethnici, adoratis Victorias non solum in templo, sed etiam in tropaeis. Porro tropaea seu spolia hostium capta, summo stipiti et in figuram crucis erecto superposita, solemni pompa deferri solebant.

(8) *Omnes illi imaginum suggestus* seu signorum castrensium apparatus sunt *monilia* crucum. *Siphara* seu vela *vexillorum et cantabrorum,* ex transversa crucis parte appensa sunt veluti *stolae* seu vestes, quibus cruces teguntur et ornantur.

nostrum. Ad Persas, si forte, deputabimur, licet solem non in linteo depictum adoremus, habentes ipsum ubique in suo clypeo.[1] Denique inde suspicio, quod innotuerit, nos ad orientis regionem precari. Sed et plerique vestrum affectatione aliquando et caelestia adorandi ad solis ortum labia vibratis. Aeque si diem solis laetitiae indulgemus, alia longe ratione quam religione solis, secundo loco ab eis sumus, qui diem Saturni otio et victui decernunt, exorbitantes et ipsi a iudaico more, quem ignorant.[2]

Sed nova iam Dei nostri in ista proxime civitate editio[3] publicata est, ex quo quidam frustrandis bestiis mercenarius noxius picturam proposuit cum eiusmodi inscriptione: « Deus christianorum 'Ονοκοίτης ».[4] Is erat auribus asininis, altero pede ungulatus, librum gestans et togatus. Risimus et nomen et formam. Sed illi debebant adorare statim biforme numen, quia et canino et leonino capite commixtos et de capro et de ariete cornutos et a lumbis hircos et a cruribus serpentes et planta vel tergo alites deos receperunt.[5] Haec ex

(1) *In suo clypeo* = in caelo, quod clypei formam praeseferre videtur.

(2) « Quid cavillari nos gau« detis, quasi diem solis hilares et « voluptate diffluentes transiga« mus? Pedem vestrum premi« mus, non longe absumus a vobis, « vos enim ipsi diem Saturni, qui « nostrum praecedit, a Iudaeis « quos non intelligitis, recepto « more laetiori gulae et inertiae « dicatis, ita a maiorum moribus « et institutis, quae peregrinos ri« tus invehi noluerunt, non tan« tum discedentes, sed et exor« bitantes a vero Iudaeorum scopo, « qui quietem illa die, non iner« tiam exigit »; Havercamp.

(3) *Editio* = repraesentatio.

(4) Tertullianus alibi (*Ad nat.* I, 14) Iudaeum fuisse inventorem impiae huius repraesentationis testatur; sed *solo detrimento* cutis seu sola circumcisione Iudaeus, quia ad ethnicismum transierat. Is homo perditissimus cum esset et plurium criminum publico iudicio convictus, ad bestias fuerat damnatus. Quoniam tamen aliquando a pugna vacare poterat, ut lucrum maius sibi acquireret, sese *quotidie frustrandis bestiis* seu ad pugnam cum bestiis sese locabat. Apte Tertullianus dixit *frustrandis bestiis*, quia maxima pars artis bestiariorum in declinando impetu bestiarum consistebat.

(5) *Illi* seu gentiles deos cole-

abundanti, ne quid rumoris irrepercussum quasi de conscientia praeterissemus. (1) Quae omnia conversi iam ad demonstrationem religionis nostrae repurgabimus.

XVII. Quod colimus, Deus unus est, qui totam molem istam cum omni instrumento elementorum, corporum, spirituum, verbo quo iussit, ratione qua disposuit, virtute qua potuit de nihilo expressit in ornamentum maiestatis suae, unde et Graeci nomen mundo κόσμον accomodaverunt. Invisibilis est, etsi videatur; incomprehensibilis, etsi per gratiam repraesentetur; inaestimabilis, etsi humanis sensibus aestimetur. (2) Ideo verus et tantus est. Ceterum quod videri communiter, quod comprehendi, quod aestimari potest, minus est et oculis quibus occupatur, et manibus quibus contaminatur et sensibus quibus invenitur. Quod vero immensum est, soli sibi notum est. Hoc quod est, (3) Deum aestimari facit, dum aestimari non capit. Ita eum vis magnitudinis et notum hominibus obicit et ignotum. Et haec est summa delicti nolentium recognoscere quem ignorare non possunt.

Vultis ex operibus ipsius tot ac talibus, quibus continemur, quibus sustinemur, quibus oblectamur, etiam quibus exterremur, vultis ex animae ipsius testimonio comprobemus? Quae licet carcere corporis pressa, licet institutionibus pravis circumscripta, licet libidinibus et concupiscentiis evigorata, licet falsis deis exancillata, cum tamen resipiscit, ut ex crapula, ut ex somno, ut ex aliqua valetudine, et sanitatem suam patitur, (4) Deum nominat, hoc solo, quia proprie

bant, qui membris partim humanis, partim belluinis coalescebant.

(1) Quoniam rumores illi de christianis ab ethnicis fuerant vulgati, Tertullianus omnes *ex abundanti* expendit et respuit, ne quis ideo praetermissos fuisse putaret, quod auctor conscius esset de eorum veritate, *de conscientia*.

(2) Cfr. MIN. *Octav.* 18.

(3) Ipsa attributa divina, quae humanam rationem excedunt verum illum esse Deum demonstrant.

(4) Cum anima iudicat secundum sana principia, quae a natura accepit. Cfr. MIN. *Octav.* 17, 18.

verus hic unus. « Deus bonus et magnus » et: « Quod Deus dederit » omnium vox est. Iudicem quoque contestatur illum: « Deus videt » et: « Deo commendo » et: « Deus mihi reddet ». O testimonium animae naturaliter christianae! Denique pronuncians haec non ad Capitolium, sed ad caelum respicit. Novit enim sedem Dei vivi; ab illo et inde descendit.

XVIII. Sed quo plenius et impressius tam ipsum quam dispositiones eius et voluntates adiremus, adiecit instrumentum literaturae, (1) si qui velit dè Deo inquirere et inquisito invenire et invento credere et credito deservire. Viros enim iustitiae innocentia dignos, Deum nosse et ostendere, a primordio in seculum emisit Spiritu divino inundatos, quo praedicarent, Deum unicum esse, qui universa condiderit, qui hominem de humo struxerit (hic enim est verus Prometheus, qui seculum certis temporum dispositionibus et exitibus ordinavit) (2) exinde qui signa maiestatis suae iudicantis ediderit per imbres, per ignes; qui demerendo sibi disciplinas determinaverit, (3) quas ignoratis et deseritis, sed observantibus his praemia destinarit; ut qui producto aevo isto (4) iudicaturus sit suos cultores in vitae aeternae retributionem, profanos in ignem aeque perpetem et iugem, suscitatis omnibus ab initio defunctis et reformatis et recensitis ad utriusque meriti dispunctionem. (5)

Haec et nos risimus aliquando. De vestris sumus. Fiunt, non nascuntur christiani. Quos diximus praedicatores, prophetae de officio praefandi vocantur. Voces, eorum itemque

(1) *Instrumentum litteraturae* est Sacra Scriptura.

(2) Notissima est Promethei legenda, qui homines de limo et aqua efformavit et cum voluisset ignem e caelo rapere, a Iove in Caucaso monte damnatus est. Cfr. Ovid. *Metam.* I, 81.

(3) Qui instituit vivendi rationem, qua ipse placari posset et propitius reddi.

(4) *Prŏducto aevo isto* intelligitur *usque in finem*, proindeque consummato.

(5) *Recensitis* seu vocatis et citatis ad tribunal suum ad rationem reddendam *utriusque meriti*, boni scilicet et mali.

virtutes,[1] quas ad fidem divinitatis edebant, in thesauris literarum manent, nec istae latent. Ptolemaeorum eruditissimus, quem Philadelphum supernominant, et omnis literaturae sagacissimus, cum studio bibliothecarum Pisistratum, opinor, aemularetur, inter cetera memoriarum,[2] quibus aut vetustas aut curiositas aliqua ad famam patrocinabatur, ex suggestu Demetrii Phalerei,[3] grammaticorum tunc probatissimi, cui praefecturam mandaverat, libros a Iudaeis quoque postulavit, proprias atque vernaculas literas, quas soli habebant. Ex ipsis enim et ad ipsos semper prophetae peroraverant, scilicet ad domesticam Dei gentem ex Patrum gratia. Hebraei retro, qui nunc Iudaei. Igitur et literae hebraeae et eloquium. Sed ne notitia vacaret, hoc quoque Ptolemaeo a Iudaeis subscriptum est, septuaginta et duobus interpretibus indultis, quos Menedemus quoque philosophus, Providentiae vindex, de sententiae communione suspexit.[4] Affirmavit haec vobis etiam Aristaeus.[5] Ita in graecum stilum exa-

(1) *Virtutes* = miracula.

(2) *Inter cetera memoriarum* = inter cetera monumenta seu commentarios scriptos.

(3) *Ex suggestu Demetrii Phalerei* = suadente Demetrio Phalereo.

(4) Cfr. IOSEPH FLAV. *Antiquit.* Prooem. 4; XII, 2; PHIL. *De vit. Moys.* II, 5 sqq.; IUSTIN. *Apol.* I, 31; *Cohort. ad Graec.* 13; IREN. *Adv. haer.* III, 21; CLEM. ALEX. *Strom.* I, 22; CYRILL. HIEROS. *Catech.* IV, 34; EUSEB. *Praepar. evang.* VIII, 2-4; HIERON. *Prolog. in Pentat.*; HIL. PICTAV. *in Psalm.* 2, 3; S. AUG. *De doctr. christ.* II, 15; *De Civit. Dei*, XVIII, 43; PHILASTR. *Haeres.* 142. Videtur Tertullianus alludere ad miraculosam illam narrationem de 72 senibus a Ptolemaeo II Philadelpho (286-247) advocatis, qui inclusi in 72 cellulis in insula Pharo, graecam Legis versionem ita separatim confecerunt, ut uniformis omnino etiam in verbis inventa sit. Ex mente Tertulliani consensio illa extraordinaria validam Menesidemo philosopho rationem suppeditasset, ut divinam Providentiam admitteret. Omnibus tamen notum est hanc narrationem, quam Iustinus primus tradidit, praeeunte S. Hieronymo inter fabulas esse amandandam. Cfr. CORNELY, *Introd. in utr. Test.* I, 338 sqq.

(5) Aristaeus vel Aristaeas praefectus militum erat Ptholomaei II

perta monumenta reliquit. Hodie apud Serapeum Ptolemaei bibliothecae cum ipsis hebraicis literis exhibentur. Sed et Iudaei palam lectitant. (1) Vectigalis libertas; vulgo aditur sabbatis omnibus. Qui audierit, inveniet Deum; qui etiam studuerit intelligere, cogetur et credere.

XIX. Primam instrumentis istis auctoritatem summa antiquitas vindicat. Apud vos quoque religionis est instar, fidem de temporibus adserere. (2) Omnes itaque substantias

Philadelphi. Exstat epistola, quae nomen eius gerit, in qua historia interpretationis alexandrinae enarratur; sed consensu unanimi criticorum est apocrypha. Cfr. CORNELY, op. c. l. c.

(1) *Lectitant* = Scripturas. Notum est Titum imperatorem post captam Hierosolymam Iudaeis imposuisse legem, ut didrachma quod antea templo Hierosolymitano solvebant, Iovi Capitolino tribuerent, ut ex Dione eruitur. Sic Iudaei libertatem redemerant coetus suos in synagogis celebrandi, in quibus Sacrae Scripturae libri legebantur. Cfr. *Act.* XV, 21. Merito igitur Tertullianus: *vectigalis libertas.*

(2) *De temporibus* = de antiquitate. Codex Fuldensis haec addit:

« Auctoritatem litteris praestat antiquitas summa. Primus enim prophetes Moyses, qui mundi conditionem et generis humani pullulationem et mox ultricem iniquitatis illius aevi vim cataclysmi de praeterito exorsus est, per vaticinationem usque ad suam aetatem et deinceps per res suas futurorum imagines edidit, penes quem et temporum ordo digestus ab initio supputationem saeculi praestitit. Superior invenitur annis circiter trecentis, quam ille antiquissimus penes vos Danaus in Argos transvenisset, Troiano denique praelio ad mille annos ante est, unde et ipso Saturno. Secundum enim historiam Thalli, qua relatum est bellum Assyriorum, et Saturnum, Titanorum regem, cum Iove dimicasse, ostenditur bellum CCCXX et duobus annis Iliacum exitum antecessisse. Per hunc Moysen etiam illa lex propria Iudaeis a Deo missa est. Deinceps multa et alii prophetae vetustiores litteris vestris. Nam et qui ultimo cecinit, aut aliquantulo praecucurrit aut certe concurrit aetate sapientiae auctoribus, etiam latoribus legis. Cyri enim et Darii regno fuit Zacharias, quo in tempore Thales, physicorum princeps, sciscitanti Croeso nihil certum de divinitate respondit, turbatus scilicet vocibus prophetarum. Solon eidem regi finem longae vitae intuendum praedicavit non aliter quam prophetae. Adeo respici potest, tam iura vestra quam studia de lege deque divina doctrina con-

omnesque materias, origines, ordines, venas veterani cuiusque stili vestri, gentes etiam plerasque et urbes insignes historiarum et canas memoriarum, ipsas denique effigies literarum, indices custodesque rerum, et (puto adhuc minus dicimus) ipsos inquam deos vestros, ipsa templa et oracula et sacra, unius interim prophetae scrinium (1) saeculis vincit, in quo videtur thesaurus collocatus totius iudaici sacramenti et inde etiam nostri. Si quem audistis interim Moysem, Argivo Inacho pariter aetate est. (2) Quadringentis paene annis (nam et septem minus) Danaum et ipsum apud vos vetustissimum praevenit, (3) mille circiter cladem Priami antecedit; possem etiam dicere quingentis amplius et Homerum, habens quos sequar. Ceteri quoque prophetae etsi

cepisse. Quod prius est, hoc sit semen necesse est. Inde quaedam nobiscum vel prope nos habetis. De sophia amor eius philosophia vocitatus est, de prophetia affectatio eius poeticam vaticinationem deputavit. Gloriae homines si quid invenerant, ut proprium facerent, adulteraverunt. Etiam fructibus a semine degenerare contigit. Multis adhuc de vetustate modis consisterem divinarum litterarum, si non maior auctoritas illis ad fidem de veritatis suae viribus quam de aetatis annalibus suppetiisset. Quid enim potentius patrocinabitur testimonio earum, nisi dispunctio quotidiana saeculi totius, cum dispositiones regnorum, cum casus urbium, cum exitus gentium, cum status temporum ita omnibus respondent, quemadmodum ante millia annorum praenunciabantur? Unde et spes nostra, quam ridetis, animatur, et fiducia, quam praesumptionem vocatis, corroboratur. Idonea est enim recognitio praeteritorum ad disponendam fiduciam futurorum. Eaedem voces praedicaverunt utramque partem, eaedem literae notaverunt. Unum est tempus apud illas, quod apud nos separari videtur. Ita omnia, quae supersunt improbata, probata sunt nobis, quia cum illis, quae probata sunt, tunc futuris praedicabantur. Habetis, quod sciam, et vos Sibyllam, quatenus appellatio ista verae vatis Dei veri passim super ceteros, qui vaticinari videbantur, usurpata est: sunt vestrae Sibyllae nomen de veritate mentitae quemadmodum et dei vestri ».

(1) *Scrinium* = liber.

(2) *Pariter aetate* = aequalis aetatis est.

(3) *Quadringentis paene annis* (*nam et septem minus*) = 393 annis ante Danaum.

Moysi postumant, extremissimi tamen eorum non retrosiores[1] reprehenduntur primoribus vestris sapientibus et legiferis et historicis?

Haec quibus ordinibus probari possint, non tamen difficile est nobis exponere, quam enorme,[2] nec arduum, sed interim longum. Multis instrumentis cum digitorum supputariis gesticulis adsidendum est,[3] reseranda antiquissimarum etiam gentium archiva, Aegyptiorum, Chaldaeorum, Phoenicum; advocandi municipes eorum, per quos notitia subministrata est, aliqui Manethon aegyptius et Berosus chaldaeus, sed et Hieromus phoenix, Tyri rex; sectatores quoque ipsorum Mendesius Ptolemaeus et Menander Ephesius et Demetrius Phalereus et rex Iuba et Apion et Thallus et, si quis istos aut probat aut revincit, iudaeus Iosephus antiquitatum Iudaicarum vernaculus vindex; Graecorum etiam censuales[4] conferendi et quae quando sint gesta, ut concatenationes temporum aperiantur, per quae luceant annalium numeri. Peregrinandum est in historias et litteras orbis. Et tamen quasi partem iam probationis intulimus, cum per quae probari possint, adspersimus.[5] Verum differre praestat, vel ne minus persequamur festinando vel diutius evagemur persequendo.

XX. Plus iam offerimus pro ista dilatione, maiestatem Scripturarum, si non vetustate divinas probamus, si dubitatur antiquitas.[6] Nec hoc tardius aut aliunde discendum; coram

(1) *Postumant* = sint posteriores. *Retrosiores* = antiquiores.

(2) *Enorme* seu normam nobis impositam excedit expositio documentorum ad probandam antiquitatem Moysis.

(3) Antiqui solebant motu et gestu manus annos, vel alias res dinumerare.

(4) *Censuales* id est *libri* vel codices. *Libri censuales,* a scribis publicis vel a privatis auctoribus confecti, continebant acta ceterosque eventus. Aequivalent nostris diariis vel ephemeridibus et publicis scribarum registris.

(5) *Adspersimus* = innuimus.

(6) Ad auctoritatem Scripturarum probandam Tertullianus argumentum maioris ponderis promittit, quod ex eorum maiestate desumitur.

sunt quae docebunt, mundus et saeculum et exitus.(1) Quicquid agitur, praenunciabatur; quicquid videtur, audiebatur. Quod terrae vorant urbes, quod insulas maria fraudant; quod externa atque interna bella dilaniant, quod regnis regna compulsant, quod fames et lues et locales quaeque clades et frequentiae plerumque mortium vastant, quod humiles sublimitate, sublimes humilitate mutantur, quod iustitia rarescit, iniquitas increbrescit, bonarum omnium disciplinarum cura torpescit, quod etiam officia temporum et elementorum munia exorbitant, quod et monstris et portentis naturalium forma turbatur, providenter scripta sunt. Dum patimur, leguntur; dum recognoscimus, probantur. Idoneum, opinor, testimonium divinitatis veritas divinationis. Hinc igitur apud nos futurorum quoque fides tuta est, iam scilicet probatorum, quia cum illis, quae quotidie probantur, praedicebantur; eaedem voces sonant, eaedem literae notant, idem spiritus pulsat, unum tempus est divinationi futura praefanti. Apud homines, si forte, distinguitur, dum expungitur, dum ex futuro praesens, dehinc ex praesenti praeteritum deputatur.(2) Quid delinquimus, oro vos, futura quoque credentes, qui iam didicimus illi per duos gradus credere?(3)

XXI. Sed quoniam edidimus, antiquissimis Iudaeorum instrumentis sectam istam esse suffultam, quam aliquanto novellam, ut Tiberiani temporis, plerique sciunt profitentibus nobis quoque; fortasse an hoc nomine de statu eius retractetur,(4) quasi sub umbraculo insignissimae religionis, certe

(1) *Exitus* = eventus vaticiniorum.

(2) Quoniam prophetia participatio est divinae cognitionis, non distinguit inter temporum differentias; sed *unum tempus est divinationi futura praefanti.* Homines vero distinguunt et praeteritum et praesens et futurum. *Dum expungitur* = dum verificatur prophetia, tunc enim cessat et expungitur.

(3) Auctoritas Scripturae admittenda *per duos gradus* seu *ex praesentibus et ex futuris.*

(4) *Retractetur* = carpitur.

licitae, aliquid propriae praesumptionis abscondat; vel quia praeter aetatem neque de victus exceptionibus neque de solemnitatibus dierum neque de ipso signaculo corporis, (1) neque de consortio nominis cum Iudaeis agimus, quod utique oporteret, si eidem Deo manciparemur. Sed et vulgus iam scit Christum ut hominum aliquem, qualem Iudaei iudicaverunt, quo facilius qui nos hominis cultores existimaverit. Verum neque de Christo erubescimus, cum sub nomine eius deputari et damnari iuvat, neque de Deo aliter praesumimus. Necesse est igitur pauca de Christo, ut Deo.

Tantum Iudaeis erat apud Deum gratiae (ubi et insignis iustitia et fides originalium auctorum,(2) unde illis et generis magnitudo et regni sublimitas floruit) et tanta felicitas, ut de Dei vocibus, quibus edocebantur, de promerendo Deo et non offendendo praemonerentur. Sed quanta deliquerint, fiducia patrum inflati ad declinandum derivantes a disciplina in profanum modum, etsi ipsi non confiterentur, probaret exitus hodiernus ipsorum. Dispersi, palabundi, et soli et caeli sui extorres vagantur per orbem sine homine,(3) sine Deo rege, quibus nec advenarum iure terram patriam saltem vestigio salutare conceditur. Cum haec illis sanctae voces praeminarentur, eadem semper omnes ingerebant fore, uti sub extimis curriculis seculi ex omni iam gente et populo et loco cultores sibi adlegeret Deus multo fideliores, in quos gratiam transferret, pleniorem quidem ob disciplinae auctioris capacitatem.

Venit igitur qui ad reformandam et illuminandam eam venturus a Deo praenunciabatur, Christus ille Filius Dei. Huius igitur gratiae disciplinaeque arbiter et magister, illuminator atque deductor generis humani Filius Dei annunciabatur; non quidem ita genitus, ut erubescat in filii nomine

(1) *Signaculum corporis* est circumcisio.

(2) *Originales auctores* sunt patriarchae Veteris Testamenti.

(3) *Sine homine.* Subintelligitur *rege*, sicut postea dicit *Deo rege.* Cfr. Eus. *Hist. Eccl.* IV, 6. Talis erat conditio Iudaeorum.

aut de patris semine. Non de sororis incesto nec de stupro filiae aut coniugis alienae deum patrem passus est squamatum aut cornutum aut plumatum, amatorem in auro conversum Danaidis.(1) Iovis enim ista sunt numina (2) vestri. Ceterum Dei Filius nullam de impudicitia habet matrem; etiam quam videtur habere, non nupserat.(3) Sed prius substantiam (4) edisseram, et ita nativitatis qualitas intelligetur.

Iam ediximus Deum universitatem hanc mundi verbo et ratione et virtute molitum. Apud vestros quoque sapientes λόγον, id est sermonem atque rationem, constat artificem videri universitatis. Hunc enim Zeno determinat factitatorem, qui cuncta in dispositione formaverit; eundem et fatum vocari et deum et animum Iovis et necessitatem omnium rerum. Haec Cleanthes in spiritum congerit, quem permeatorem universitatis affirmat. Et nos autem sermoni atque rationi itemque virtuti, per quae omnia molitum Deum ediximus, propriam substantiam spiritum inscribimus, cui et sermo insit pronuncianti et ratio adsit disponenti et virtus praesit perficienti.(5) Hunc ex Deo prolatum didicimus et prolatione generatum et idcirco Filium Dei et Deum dictum ex unitate substantiae. Nam et Deus spiritus. Et cum radius ex sole porrigitur, portio ex summa; sed sol erit in radio, quia solis est radius, nec separatur substantia sed extenditur. Ita de

(1) Ethnici fabulabantur Iovem sub forma aurei imbris descendisse ad Danaem, ex qua Perseum genuit. Sic nefarium concubitum adumbraverant.

(2) Nonnulli legunt *numina*, alii *nomina*. Qui *numina* retinent, explicant: arbitria et manifestationes Iovis.

(3) Pro *impudicitia* alii legunt *pudicitia*, idque cum Rhenano, Latinio, Pamelio. Sensus tunc est: tantum abest ut Dei Filius voluerit ex illicita copula nasci, ut nec e pudicis nuptiis nasci voluerit; nam eius mater non nupserat, nec virum noverat. Cf. Luc. I, 26–38.

(4) *Substantiam* = naturam.

(5) *Propriam substantiam – virtus praesit perficienti.* Verbum seu Λόγον secundum substantiam seu naturam spiritum esse affirmamus, qui praeditus sit sermone, sapientia et virtute.

spiritu spiritus et de Deo Deus ut lumen de lumine accensum. Manet integra et indefecta materiae matrix, etsi plures inde traduces qualitatis mutueris. Ita et quod de Deo profectum est, Deus est et Dei Filius et unus ambo; ita et de spiritu spiritus et de Deo Deus; modulo alternum numerum, gradu, non statu fecit, et a matrice non recessit, sed excessit.(1)

Iste igitur Dei radius, ut retro semper praedicabatur, delapsus in virginem quandam et in utero eius caro figuratus nascitur homo Deo mixtus.(2) Caro spiritu instructa nutritur, adolescit, affatur, docet, operatur et Christus est. Recipite interim hanc fabulam, similis est vestris, dum ostendimus, quomodo Christus probetur et qui penes vos eiusmodi fabulas aemulas ad destructionem veritatis istiusmodi praeministraverint. Sciebant et Iudaei, venturum esse Christum, scilicet quibus prophetae loquebantur. Nam et nunc adventum eius exspectant, nec alia magis inter nos et illos compulsatio est, quam quod iam venisse non credunt. Duobus enim adventibus eius significatis, primo qui iam expunctus est in humilitate conditionis humanae, secundo, qui concludendo seculo imminet in sublimitate divinitatis exsertae, primum non intelligendo, secundum, quem manifestius praedicatum sperant, unum existimaverunt.(3) Ne enim intelligerent pristinum, credituri, si intellexissent, et consecuturi

(1) *Alternus numerus*, seu quod duae sint personae inter se distinctae Pater et Filius, non provenit ex diverso *statu* seu essentia Patris et Filii, sed ex diverso *modulo* seu ex diversa subsistentia, qua Pater et Filius in seipsis constituuntur et ex diverso *gradu*, quia Filius a Patre per generationem procedit.

(2) *Homo Deo mixtus* id est *homo* seu natura humana *Deo* seu Verbo aeterno secundum subsistentiam vel personalitatem *mixtus* seu coniunctus. Excludenda est mixtio sensu Eutychiano et considerandae conditiones temporum, cum nondum terminologia mysterii Incarnationis rigorose fuerat definita.

(3) Quamvis duo fuerint adventus Christi significati, alter in plenitudine temporis, alter in exitu mundi, Iudaei ex utroque unum fecerunt; proindeque non agnoscentes adventum Christi in carne mortali, adhuc Christum exspectant.

salutem, si credidissent, meritum fuit delictum eorum.[1] Ipsi legunt ita scriptum, mulctatos se sapientia et intelligentia et oculorum et aurium fruge.

Quem igitur hominem solummodo praesumpserant de humilitate, sequebatur, uti magnum aestimarent de potestate, cum ille verbo daemonia de hominibus excuteret, coecos reluminaret, leprosos purgaret, paralyticos restringeret, mortuos denique verbo redderet vitae, elementa ipsa famularet, compescens procellas et freta ingrediens, ostendens se esse Verbum Dei, id est λόγον illud primordiale, primogenitum, virtute et ratione comitatum et spiritu fultum, eundem qui verbo omnia et faceret et fecisset. Ad doctrinam vero eius, qua revincebantur magistri primoresque Iudaeorum, ita exasperabantur, maxime quod ingens ad eum multitudo deflecteret, ut postremo oblatum Pontio Pilato, Syriam tunc ex parte romana procuranti, violentia suffragiorum in crucem Iesum dedi sibi extorserint. Praedixerat et ipse ita facturos. Parum hoc, si non et prophetae retro. Et tamen suffixus multa mortis illius propria ostendit insignia: Nam spiritum cum verbo sponte dimisit, praevento carnificis officio. Eodem momento dies medium orbem signante sole subducta est. Deliquium utique putaverunt, qui id quoque super Christo praedicatum non scierunt. Et tamen eum mundi casum relatum in arcanis vestris habetis. Tunc Iudaei detractum et sepulcro conditum magna etiam militari manu custodiae diligentia circumsederunt, ne, quia praedixerat, tertia die resurrecturum se a morte, discipuli furto amoliti cadaver fallerent suspectos. Sed ecce tertia die concussa repente terra et mole revoluta, quae obstruxerat sepulcrum, et custodia pavore disiecta, nullis apparentibus discipulis nihil in sepulcro repertum est praeterquam exuviae sepulti. Nihilominus

(1) Cfr. Isa. VI, 9, 10; Matth. XIII, 14; Marc. IV, 12; Luc. VIII, 10; Ioann. XII, 39, 40; *Act.* XXVIII, 26; *Rom.* XI, 8.

tamen primores, quorum intererat et scelus divulgare et populum vectigalem et famularem sibi a fide revocare, subreptum a discipulis iactitaverunt. Nam nec ille se in vulgus eduxit, ne impii errore liberarentur, ut et fides, non mediocri praemio destinata, difficultate constaret. Cum discipulis autem quibusdam apud Galilaeam, Iudaeae regionem, ad quadraginta dies egit docens eos quae docerent. Dehinc ordinatis eis ad officium praedicandi per orbem, circumfusa nube in caelum est receptus multo verius quam apud vos asseverare de Romulo Proculi solent.(1)

Ea omnia super Christo Pilatus, et ipse iam pro sua conscientia christianus Caesari tunc Tiberio nunciavit.(2) Sed et Caesares credidissent super Christo, si aut Caesares non essent necessarii seculo,(3) aut si et christiani potuissent esse Caesares. Discipuli quoque diffusi per orbem ex praecepto Magistri Dei paruerunt, qui et ipsi a Iudaeis insequentibus multa perpessi utique pro fiducia veritatis libenter Romae postremo per Neronis saevitiam sanguinem christianum seminaverunt. (4) Sed monstrabimus vobis idoneos testes

(1) Epilogum passionis, resurrectionis et ascensionis Christi Tertullianus hic composuit. Cfr. MATTH. XXIV sqq.; MARC. XIV sqq.; LUC. XXII sqq.; IOANN. XVIII sqq.; *Act.* I.

(2) Cfr. c. V; EUS. *Hist. Eccl.* II, 2.

(3) « Respondet Rigaltius illud « ideo dictum, quia, uti infra vi« debimus, persuasum habebant « fore ut mundus, quem nolebant « tam cito destrui, cum Romano « imperio everteretur. Sed quae« nam, obsecro te, ex hoc errore « induci potest vitae unius aut al« terius Caesaris necessitas? Non« ne autem Tertullianus dicere po« tuit Caesares saeculo esse neces« sarios, id est saeculi et populo« rum moribus, ac praesertim re« ceptis religionum institutis tanta « necessitate obstrictos, ut ea sine « seditionibus, atque imminenti « etiam et capitis et imperii sub« vertendi periculo labefactare aut « immutare non possent? » LE NOURRY.

(4) Tertullianus ad apostolos Petrum et Paulum praesertim alludere videtur. Ipse cognovit quantas persecutiones a Iudaeis Paulus pertulerat; cognoverat etiam martyrium, quod Romae uterque fecit « ubi Petrus passioni dominicae « adaequatur, ubi Paulus Ioannis

Christi ipsos illos, quos adoratis. Multum est, si eos adhibeam, ut credatis christianis, propter quos non creditis christianis. Interim hic est ordo nostrae institutionis; hunc edidimus et sectae et nominis censum cum suo auctore.

Nemo iam infamiam incutiat, nemo aliud existimet, quia nec fas est ulli de sua religione mentiri. Ex eo enim quod aliud a se coli dicit quam colit, negat quod colit, et culturam et honorem in alterum transfert et transferendo iam non colit quod negavit. Dicimus, et palam dicimus et vobis torquentibus lacerati et cruenti vociferamur: « Deum colimus per Christum ». Illum hominem putate, per eum et in eo se cognosci et coli Deus vult. Ut Iudaeis respondeamus, et ipsi Deum per hominem Moysen colere didicerunt: ut Graecis occurram, Orpheus Pieriae, Musaeus Athenis, Melampus Argis, Trophonius Boeotiae initiationibus homines obligaverunt: ut ad vos quoque dominatores gentium adspiciam, homo fuit Pompilius Numa, qui Romanos operosissimis superstitionibus oneravit. Licuerit et Christo commentari divinitatem, rem propriam; non qua rupices [1] et adhuc feros homines multitudine tot numinum demerendorum attonitos efficiendo ad humanitatem temperaret, quod Numa, sed qui iam expolitos et ipsa urbanitate deceptos in agnitionem veritatis ocularet. Quaerite igitur si vera est ista divinitas Christi. Si ea est, qua cognita ad bonum quis reformatur, sequitur, ut falsae renuncietur, comperta in primis illa omni ratione, quae delitescens sub nominibus et imaginibus mortuorum quibusdam signis et miraculis et oraculis fidem divinitatis operatur.[2]

« exitu coronatur » (*De praescript.* 36. Cfr. *Contra Marc.* IV, 5; *De baptism.* 4; *Scorpiac.* 15). *Seminaverunt*; recte quidem, nam « semen est sanguis christianorum » (c. L).

(1) *Rupices* a graeco ῥύπαξ et ῥύπος (sordidus et sordes) sunt homines rustici, qui primum Romam incolebant.

(2) *Ratio illa, quae delitescens sub nominibus et imaginibus mortuorum quibusdam signis et miraculis et oraculis fidem divinitatis*

XXII. Atque adeo dicimus esse substantias quasdam spiritales. Nec nomen novum est. Sciunt daemones philosophi, Socrate ipso ad daemonii arbitrium exspectante.(1) Quidni? cum et ipsi daemonium a pueritia adhaesisse dicatur, dehortatorium plane a bono. Omnes sciunt poëtae, etiam vulgus indoctum in usu maledictis frequentat. Nam et Satanan, principem huius mali generis, proinde de propria conscientia animae eadem exsecramenti voce pronunciat.(2) Angelos quoque etiam Plato non negavit. Utriusque nominis testes esse vel magi adsunt. Sed quomodo de angelis quibusdam sua sponte corruptis corruptior gens daemonum evaserit, damnata a Deo cum generis auctoribus et cum eo, quem diximus, principe, apud Litteras sanctas ordine cognoscitur.(3)

Nunc de operatione eorum satis erit exponere. Operatio eorum est hominis eversio; sic malitia spiritalis a primordio auspicata est in hominis exitium. Itaque corporibus quidem et valetudines infligunt et aliquos casus acerbos, animae vero repentinos et extraordinarios per vim excessus. Suppetit illis

*operatur* est vis diabolica, quae apud ethnicos oracula et miranda patrabat et veram esse eorum religionem suadebat.

(1) Ipse Socrates exspectabat *arbitrium* seu responsum daemonis.

(2) Vulgus cum aliquem exsecratur et Satanam appellat, loquitur de *propria conscientia* seu instinctu quodam naturali ductum, quo daemonum exsistentiam recognoscit. Cfr. *De testim. anim.* 3.

(3) Alludit ad *Gen.* VI, 1 sqq.: « Cumque cepissent homines mul« tiplicari super terram, et filias « procreassent, videntes filii Dei « filias hominum quod essent pul« crae, acceperunt sibi uxores ex « omnibus, quas elegerant ». Iam loco « filii Dei » in versione graeca τῶν LXX legebatur: ἄγγελοι τοῦ Θεοῦ = « angeli Dei ». Exinde factum est, ut plures scriptores ecclesiastici et Patres, ut Iustinus, Athenagoras, Clemens Alexandrinus, Lactantius, Cyprianus, Eusebius, Methodius opinarentur angelos sese miscuisse cum feminis et gigantes procreasse. Tertullianus fabulam illam prae oculis habet. Cfr. *De idol.* 9; *De cult. fem.* 10; *De veland. virg.* 7; *Adv. Marc.* V, 18.

ad utramque substantiam hominis adeundam subtilitas et tenuitas sua. Multum spiritalibus viribus licet, ut invisibiles et insensibiles in effectu potius quam in actu suo appareant, si poma, si fruges nescio quod aurae latens vitium in flore praecipitat, in germine exanimat, in pubertate convulnerat, ac si coeca ratione tentatus aër pestilentes haustus suos offundit.(1) Eadem igitur obscuritate contagionis (2) aspiratio daemonum et angelorum mentis quoque corruptelas agit furoribus et amentiis foedis aut saevis libidinibus cum erroribus variis, quorum iste potissimus, quo deos istos captis et circumscriptis (3) hominum mentibus commendat, ut et sibi pabula propria nidoris et sanguinis procuret simulacris imaginibus oblata. Et quae illi accuratior pascua (4) est, quam ut hominem e cogitatu verae divinitatis avertat praestigiis falsis? Quae et ipsa quomodo operetur expediam.

Omnis spiritus ales est: hoc angeli et daemones. Igitur momento ubique sunt. Totus orbis illis locus unus est; quid ubi geratur tam facile sciunt quam annunciant. Velocitas divinitas creditur, quia substantia ignoratur. Sic et auctores interdum videri volunt eorum, quae annunciant. Et sunt plane malorum nonnunquam, bonorum tamen nunquam. Dispositiones etiam Dei et tunc prophetis concionantibus excerpunt et nunc lectionibus resonantibus carpunt.(5) Ita et hinc sumentes quasdam temporum sortes aemulantur divinitatem, dum furantur divinationem. In oraculis autem quo ingenio ambiguitates temperent in eventus, sciunt Croesi,

(1) Daemones qui ex se invisibiles sunt, visibiles redduntur in suis effectibus, quos in damnum hominum producunt. Cfr. MIN. *Oct.* 21.

(2) *Obscuritate contagionis* = operatione vel seductione occulta et invisibili.

(3) *Circumscriptis* = circumventis vel deceptis.

(4) *Accuratior pascua*, id est pabulum, quod ab eo magis curatur.

(5) Sicut cum prophetae concionabant daemones *dispositiones Dei* arripiebant, ita nunc cum lectiones *resonant* prophetarum in christianorum conventibus, easdem Dei *dispositiones carpunt.*

sciunt Pyrrhi.[1] Ceterum testudinem decoqui cum carnibus pecudis, Pythius eo modo renunciavit, quo supra diximus; momento apud Lydiam fuerat.[2] Habent de incolatu aëris et de vicinia siderum et de commercio nubium caelestes sapere paraturas,[3] ut et pluvias, quas iam sentiunt, repromittant. Benefici plane et circa curas valetudinum. Laedunt enim primo, dehinc remedia praecipiunt ad miraculum nova sive contraria,[4] post quae desinunt laedere, et curasse creduntur. Quid ergo de ceteris ingeniis vel etiam viribus fallaciae spiritalis edisseram, phantasmata Castorum et aquam cribo gestatam et navem cingulo promotam et barbam tactu inrufatam ut numina lapides crederentur, ut Deus verus non quaereretur?[5]

XXIII. Porro si et magi phantasmata edunt et iam defunctorum infamant animas, si pueros in eloquium oraculi elidunt, si multa miracula circulatoriis praestigiis ludunt, si et somnia immittunt, habentes semel invitatorum angelorum et daemonum assistentem sibi potestatem, per quos et caprae et mensae divinare consuerunt:[6] quanto magis

(1) Oraculum Apollinis Croeso, regi Lydiae, interroganti de bello cum Persis gerendo, respondit: « Croesus Halyn superans magnam « pervertet opum vim »; Pyrrho vero, regi Epiri: « Aio te, Aeacida, « Romanos vincere posse ». Vaticinium ambiguum intelligi poterat vel in bonum vel in damnum utriusque regis, qui revera aequivocationis fraudem infeliciter experti sunt.

(2) Cum Croesus legatos misisset, qui diversa deorum oracula consulerent, et quid ipse in Lydia ageret interrogarent, responsum nullum probavit, nisi quod oraculum Delphi praestiterat. Respondit enim eum « testudinem pariter « et agnum concisos in lebete ae-« neo coxisse operculo aeneo su-« perposito ». Cfr. Herod. *Hist.* I, 48.

(3) *Caelestes paraturae* sunt constitutiones pluviae, nimbi, tempestatis, quae in aëre parantur.

(4) Daemones ut sanatio miraculosa habeatur, *nova* seu inaudita remedia, imo etiam *contraria* adhibere solent, postquam morbos ipsos intulerunt.

(5) Cfr. Min. *Octav.* 7.

(6) Moderni spiritismi phaenomena, quae tantopere iactantur, vetustissima sunt, sicut ex huiusmodi Tertulliani testimonio erui-

ea potestas de suo arbitrio et pro suo negotio studeat totis viribus operari, quod alienae praestat negotiationi? Aut si eadem angeli et daemones operantur, quae et dei vestri, ubi est ergo praecellentia divinitatis, quam utique superiorem omni potestate credendum est? Non ergo dignius praesumetur, ipsos esse, qui se deos faciant, cum eadem edant, quae faciant deos credi, quam pares angelis et daemonibus deos esse? Locorum differentia distinguitur, opinor, ut a templis deos existimetis, quos alibi deos non dicitis: ut aliter dementire videatur qui sacras turres pervolat, aliter qui tecta viciniae transilit; et alia vis pronuncietur in eo, qui genitalia vel lacertos, alia qui sibi gulam prosecat. (1) Compar exitus furoris et una ratio est instigationis.

Sed hactenus verba; iam hinc demonstratio rei ipsius, qua ostendemus, unam esse utriusque nominis qualitatem. Edatur hic aliquis ibidem sub tribunalibus vestris, quem daemone agi constet. Iussus a quolibet christiano loqui spiritus ille tam se daemonem confitebitur de vero, quam alibi deum de falso. Aeque producatur aliquis ex his, qui de deo pati existimantur, qui aris inhalantes numen de nidore concipiunt, qui ructando curantur, qui anhelando praefantur. (2) Ista ipsa

tur. *Defunctorum infamant animas*, « quando », explicat HAVERCAMP, « fortium et praestantium « virorum umbrae ad lubitum impurissimae veneficae excitantur « vel excitari simulantur; nam « nihil sunt, nisi merae nugae et « fallaciae ». *Pueros in eloquium oraculi elidunt* seu incautos pueros ut velut caduci corruant efficiunt, ut deinde absque conscientia excitati, multa praedicenda in eloquium oraculi inserviant.

(1) Tertullianus gentilium persuasionem carpit, qua putabant deos a pravis daemonibus *loco* distingui. Cum enim eaedem operationes habeantur, aeque *dementit* sive qui e sacra turre, sive qui ex quolibet tecto se praecipitat. HAVERCAMP ait: « Huc refero saltum « ex saxo Leucatis prope delubrum « Apollinis, quo ab amore crediti « sunt liberari amatores, quasi non « idem quodvis saxum praestaret, « mortem pro vita retribuens ». Cfr. MIN. *Octav.* 27.

(2) « *Qui aris inhalantes* a Ter« tulliano vocantur hi procul dubio « sunt arioli... spirantes et in aras

virgo Caelestis, pluviarum pollicitatrix, (1) ipse iste Aesculapius, medicinarum demonstrator, alia die morituris Socordio et Tenatio et Asclepiodoto subministrator, (2) nisi se daemones confessi fuerint, christiano mentiri non audentes, ibidem illius christiani procacissimi sanguinem fundite!

Quid isto opere manifestius? Quid hac probatione fidelius? Simplicitas veritatis in medio est, virtus illi sua adsistit; nihil suspicari licebit. Magia aut aliqua eiusmodi fallacia fieri dictis nunc dicetis? Si oculi vestri et aures permiserint vobis. (3) Quid autem iniici potest adversus id, quod ostenditur nuda sinceritate? Si altera parte vere dei sunt, cur sese daemonia mentiuntur? An ut nobis obsequantur? Iam ergo subiecta christianis divinitas vestra, nec divinitas deputanda est, quae subdita est homini et, si quid ad dedecus facit, aemulis suis. Si altera parte daemones sunt vel angeli, cur se alibi pro deis agere respondent? Nam sicut illi, qui dei habentur, daemones se dicere noluissent, si vere dei essent, scilicet ne se de maiestate deponerent, ita et isti, quos directo daemonas nostis, non auderent alibi pro deis agere, si aliqui

« spiritum emittentes, *numen* id « est dei alicuius nutum et po« testatem *de nidore*, id est odore « victimae alicuius perustae *con« cipiunt*. Deinde *qui ructando*... « et oraculum emittendo, feruntur « labore suo et cruciatu liberari « ac curari »; Le Nourry.

(1) Variae explicationes traduntur. Alii Iunonem, alii Fortunam, alii Cererem, alii Uraniam, alii Venerem inducunt; sed probabilior sententia, quae Caelestem, deam Africae propriam et municipalem, insinuat. Cfr. *Apol.* 24; August. *De Civit. Dei*, II, 4, 26.

(2) En locus, qui est vera crux interpretum. Alii putant Socordium, Tenatium et Asclepiodotum esse voces praestigiatorum, qui Aesculapio se ministrare mentiebantur. Alii opinantur esse nomina trium hominum, quibus Aesculapius vitam ad brevem horam protraxit. Alii denique censent esse nomina herbarum, quibus Aesculapius morbos depellebat. Ceterum lectiones diversae a criticis etiam proponuntur.

(3) Quamvis lectio diversimode proponatur, sensus tamen est: ethnici non possunt aut suspicari aut obicere aliquid in opere christianorum inesse, quod magicum aut fallax sit, dummodo non obstinatione coeci et surdi exsistant.

omnino dei essent, quorum nominibus utuntur; vererentur enim abuti maiestate superiore sine dubio et timendorum. Adeo nulla est divinitas ista, quam tenetis, quia si esset, neque a daemoniis affectaretur in confessione, neque a deis negaretur. Cum ergo utraque pars concurrit in confessionem deos esse negans, agnoscite unum genus esse, id est daemonas, verum utrobique.

Iam deos quaerite; quos enim praesumpseratis, daemonas esse cognoscitis. Eadem vero opera nostra ab eisdem deis vestris non tantum hoc detegentibus, quod neque ipsi dei sint neque ulli alii, etiam illud in continenti cognoscitis, qui sit vere Deus, et an ille et an unicus, quem christiani profitemur, et an ita credendus colendusque, ut fides, ut disciplina disposita est christianorum. Dicent ibidem:(1) « Et quis ille Christus cum sua fabula? si homo communis conditionis, si magus, si post mortem de sepulcro a discipulis subreptus, si nunc denique penes inferos, si non in caelis potius et inde venturus cum totius mundi motu, cum orbis horrore, cum planctu omnium, sed non christianorum, ut Dei virtus et Dei spiritus et sermo et sapientia et ratio et Dei Filius? » Quodcumque ridetis, rideant et illi (2) vobiscum; negent Christum omnem ab aevo animam restituto corpore iudicaturum; dicant hoc pro tribunali, si forte, Minoëm et Rhadamanthum secundum consensum Platonis et poëtarum hoc esse sortitos: (3) suae saltem ignominiae et damnationis notam refutent. Renuntient se immundos spiritus esse, quod vel ex pabulis eorum, sanguine et fumo et putidis rogis pecorum, et impuratissimis linguis ipsorum vatum intelligi debuit; renuant ob malitiam praedamnatos se in eundem iudicii diem cum omnibus cultoribus et operationibus suis.

(1) Subintelligitur daemones.
(2) *Illi* = daemones.
(3) *Minoës et Rhadamanthus* cum Aeaco munus iudicandi animas in inferno *sortiti erant* iuxta legendam ethnicorum.

Atquin omnis haec nostra in illos dominatio et potestas de nominatione Christi valet et de commemoratione eorum, quae sibi a Deo per arbitrum Christum imminentia exspectant. Christum timentes in Deo et Deum in Christo, subiiciuntur servis Dei et Christi. Ita de contactu deque afflatu nostro, contemplatione et repraesentatione ignis illius correpti, etiam de corporibus nostro imperio excedunt inviti et dolentes et vobis praesentibus erubescentes. Credite illis, cum verum de se loquuntur, qui mentientibus creditis. Nemo ad suum dedecus mentitur, quin potius ad honorem. Magis fides proxima est adversus semetipsos confitentes, quam pro semetipsis negantes.

Haec denique testimonia deorum vestrorum christianos facere consueverunt; quam plurimum illis credendo in Christo Domino credimus. Ipsi litterarum nostrarum fidem accendunt, ipsi spei nostrae fidentiam aedificant. Colitis illos, quod sciam, etiam de sanguine christianorum. Nollent itaque vos tam fructuosos, tam officiosos sibi amittere, vel ne a vobis quandoque a christianis fugentur, si illis sub christiano, volente vobis veritatem probare, mentiri liceret. (1)

XXIV. Omnis ista confessio illorum, qua se deos negant esse quaque non alium Deum respondent praeter unum, cui nos mancipamur, satis idonea est ad depellendum crimen laesae maxime romanae religionis. Si enim non sunt dei pro certo, nec religio pro certo est; (2) si religio non est, quia nec dei pro certo, nec nos pro certo rei sumus laesae religionis. At e contrario in vos exprobratio resultabit, qui mendacium colentes veram religionem veri Dei non modo negligendo,

(1) « Credite illis cum adiu« rati a nobis verum dicunt; si « enim liceret illis mentiri, quando « homo christianus veritatem vo« bis probare vult, facerent certe, « ne vos tam fructuosos sibi amit« terent, imo ne a vobis ipsis olim « forte christianis ab aliqua pos« sessione sua deturbarentur »; Havercamp.

(2) Si certum est non esse deos, nec religio certa est.

quin insuper expugnando, in verum committitis crimen verae irreligiositatis.

Nunc ut constaret illos deos esse,[1] nonne conceditis de aestimatione communi aliquem esse sublimiorem et potentiorem, velut principem mundi perfectae peritiae et maiestatis? Nam et sic plerique disponunt divinitatem, ut imperium summae dominationis esse penes unum, officia eius penes multos velint, ut Plato Iovem magnum in caelo comitatum exercitu describit deorum pariter et daemonum. Itaque oportere et procurantes et praefectos et praesides pariter suspici. Et tamen quod facinus admittit qui magis ad Caesarem promerendum et operam et spem suam transfert, nec appellationem dei, ita ut imperatoris, in alio quam principe confitetur, cum capitale esse iudicetur, alium praeter Caesarem et dicere et audire? Colat alius deum, alius Iovem; alius ad caelum manus supplices tendat, alius ad aram Fidei; alius, si hoc putatis, nubes numeret orans, alius lacunaria;[2] alius suam animam deo suo voveat, alius hirci. Videte enim, ne et hoc ad irreligiositatis elogium concurrat, adimere libertatem religionis et interdicere optionem divinitatis, ut non liceat mihi colere quem velim, sed cogar colere quem nolim. Nemo se ab invito coli volet, ne homo quidem.

Atque adeo et Aegyptiis permissa est tam vanae superstitionis potestas avibus et bestiis consecrandis et capite damnandis, qui aliquem huiusmodi deum occiderit.[3] Unicuique

(1) Tertullianus argumentatur ad hominem. Concedamus illos deos esse. Inter eos erit aliquis supremus. Quomodo igitur accusamur irreligiositatis, si hunc Deum supremum colimus? *Nunc ut constaret* = licet constaret.

(2) « Christiani plerumque con- « veniebant in areis, ibique oran- « tes caelum suspiciebant absque « aris, absque statuis; eos igitur « ethnici deridebant, quasi nubes « orando numerarent (hinc illud « *si putatis*), idcirco Tertullianus « absurditatem absurditate alia re- « fellit. Nos, inquit, nubes nume- « ramus, vos lacunaria templo- « rum »; PAMELIUS.

(3) *Aegyptii* tanta fruuntur cultus libertate, ut possint *aves et*

etiam provinciae et civitati suus deus est, ut Syriae Astartes, ut Arabiae Dusares, ut Noricis Belenus, ut Africae Caelestis, ut Mauritaniae reguli sui. Romanas, ut opinor, provincias edidi, nec tamen romanos deos earum, quia Romae non magis coluntur quam qui per ipsam quoque Italiam municipali consecratione censentur:(1) Casiniensium Deluentinus, Narniensium Visidianus, Asculanorum Ancharia, Volsiniensium Nortia, Ocriculanorum Valentia, Sutrinorum Hostia, Faliscorum in honore patris Curis et accepit cognomen Iuno.(2) Sed nos soli arcemur a religionis proprietate. Laedimus Romanos, nec Romani habemur, qui non Romanorum deum colimus. Bene quod omnium Deus est, cuius, velimus aut nolimus, omnes sumus. Sed apud vos quodvis colere ius est praeter Deum verum, quasi non hic magis omnium sit Deus, cuius omnes sumus.

XXV. Satis quidem mihi videor probasse de falsa et vera divinitate, cum demonstravi, quemadmodum probatio consistat, non modo disputationibus nec argumentationibus,(3) sed ipsorum etiam testimoniis, quos deos creditis, ut nihil iam ad hanc causam sit retractandum. Quoniam tamen romani nominis proprie mentio occurrit, non omittam congressionem, quam provocat illa praesumptio dicentium, Romanos pro merito religiositatis diligentissimae in tantum sublimitatis elatos, ut orbem occuparint, et adeo deos esse, ut praeter ceteros floreant, qui illis officium praeter ceteros faciant.(4)

Scilicet ista merces a romanis deis pro gratia expensa

*bestias consecrare,* et *capite damnare hominem, qui aliquem huiusmodi deum occiderit.*

(1) Enumeravi *Romanas provincias,* quarum tamen *dii* non sunt *romani;* nam *Romae* dii illarum provinciarum non magis coluntur, quam dii quibus municipia per Italiam honorem constituerunt.

(2) Apud Faliscos *Iuno in honorem patris Curis* successit et simile nomen adepta est.

(3) *Nec argumentationibus* = et non modo argumentationibus.

(4) Cfr. MIN. *Octav.* 6, ubi exceptio a Caecilio proponitur.

est. Sterculus et Mutunus et Larentina provexit imperium. (1) Peregrinos enim deos non putem extraneae genti magis fautum voluisse quam suae, et patrium solum, in quo nati, adulti, nobilitati sepultique sunt, transfretanis dedisse. Viderit Cybele, si urbem Romanam ut memoriam Troiani generis adamavit, vernaculi sui scilicet adversus Achivorum arma protecti, si ad ultores transire prospexit, quos sciebat Graeciam Phrygiae debellatricem subacturos. (2) Itaque maiestatis suae in urbem collatae grande documentum nostra etiam aetate proposuit, cum M. Aurelio apud Sirmium reipublicae exempto die sexto decimo Kalendarum Aprilium, archigallus ille sanctissimus die nono Kalendarum earundem, quo sanguinem impurum lacertos quoque castrando libabat, pro salute imperatoris Marci, iam intercepti, solita aeque imperia mandavit. (3) O nuncios tardos, o somniculosa diplomata, quorum vitio excessum imperatoris non ante Cybele cognovit! Nae, deam talem riderent christiani! Sed non statim et Iupiter Cretam suam romanis fascibus concuti sineret, oblitus antrum illud Idaeum et aera Corybantia et iucundissimum illic nutricis suae odorem. Nonne omni Capitolio tumulum illum suum praeposuisset, ut ea potius orbi terra praecelleret, quae cineres Iovis texit? (4) Vellet Iuno Puni-

(1) Dii abiectissimi. Sterculus agris stercoribus iuvandis diligens exstitit; Mutinus item ac Priapus Graecorum omni luxuriae praesidebat; Larentina scortum publicum erat.

(2) Cybele urbem Troianam protegebat. Tertullianus ironice dicit Cybelem forte ad Romanos transiisse, quia praescivit Romanos subacturos fore Graecos, qui Troiam deleverant.

(3) *Archigallus* erat princeps sacerdotum Cybeles. Post hebdomadam a morte Marci Aurelii sacrificium et preces more solito obtulit pro Imperatoris felicitate; hinc ironia Tertulliani.

(4) Gentiles fabulabantur Iovem natum et sepultum in antro Idaeo insulae Cretae. *Aera Corybantia* prohibuerunt, quominus Saturnus vagitus Iovis audiret eumque devoraret. Nutrix Iovis fuerat capra Amalthea; ironice Tertullianus de *odore iucundissimo* loquitur.

cam urbem posthabita Samo, dilectam ab Aeneadarum gente deleri? Quod sciam:

Hic illius arma,
Hic currus fuit, hoc regnum dea gentibus esse,
Si qua fata sinant, iam tum tenditque fovetque. (1)

Misera illa coniux Iovis et soror adversus fata non valuit! Plane: « Fato stat Iupiter ipse ».(2)

Nec tantum tamen honoris fatis Romani dicaverunt dedentibus sibi Carthaginem adversus destinatum votumque Iunonis quantum prostitutissimae lupae Larentinae.

Plures deos vestros regnasse certum est. Igitur si conferendi imperii tenent potestatem, cum ipsi regnarent, a quibus acceperant eam gratiam? Quem coluerat Saturnus et Iupiter? Aliquem, opinor, Sterculum. Sed postea Romani cum indigenis suis, etiam si qui non regnaverunt? Tamen regnabantur ab aliis nondum cultoribus suis, ut qui nondum dei habebantur.(3) Ergo aliorum est regnum dare, quia regnabatur multo ante, quam isti dei inciderentur.

Sed quam vanum est, fastigium romani nominis religiositatis meritis deputare, cum post imperium sive adhuc regnum religio profecerit. ⟨Age iam, rebus religio profecerit.⟩ Nam etsi a Numa concepta est curiositas superstitiosa, non-

(1) Iuno in insula Samo educata vel nupta fuerat Iovi: nihilominus *Punicam urbem* seu Carthaginem praetulit. Cfr. VIRGIL. *Aeneid.* I, 20.

(2) Proverbium graecum erat: Ἀνάγκῃ οὐδὲ θεοὶ μάχονται = Necessitati ne dii quidem resistunt.

(3) Locus est maxime implexus; hinc sive manuscripta sive editiones inter se dissident. Havercamp interpolata putat verba *sed postea Romani* vel *Romae*, ut ipse legit. Tunc sensus est: dii vestri regnarunt, et quoniam regnum ab alio confertur, procul dubio Saturnus et Iupiter ab alio regnum acceperunt. Quaeritur: a quo acceperunt? Ironice respondet Tertullianus: fortassis ab aliquo Sterculo seu deo abiectissimo et ab indigenis suis seu a diis, qui una cum Sterculo vernaculi erant et proprii dii Romanorum. Quod si dicatur quosdam non regnasse, tamen regnabatur ab iis qui nondum cultores deorum evaserant, quia dii ipsi non fuerant constituti.

dum tamen aut simulacris aut templis res divina apud Romanos constabat. Frugi religio et pauperes ritus et nulla Capitolia certantia ad caelum, sed temeraria de cespite altaria (1) et vasa adhuc Samia et nidor ex illis (2) et deus ipse nusquam.(3) Nondum enim tunc ingenia Graecorum atque Tuscorum fingendis simulacris Urbem inundaverant. Ergo non ante religiosi Romani quam magni, ideoque non ob hoc magni, quia religiosi.

Atquin quomodo ob religionem magni, quibus magnitudo de irreligiositate provenit? (4) Ni fallor enim, omne regnum vel imperium bellis quaeritur et victoriis propagatur. Porro bella et victoriae captis et eversis plurimum urbibus constant. Id negotium sine deorum iniuria non est. Eaedem strages moenium et templorum, pares caedes civium et sacerdotum, nec dissimiles rapinae sacrarum divitiarum et profanarum. Tot igitur sacrilegia Romanorum quot tropaea, tot de deis quot de gentibus triumphi, tot manubiae quot manent adhuc simulacra captivorum deorum. Et ab hostibus ergo suis sustinent adorari et illis imperium sine fine decernunt, quorum magis iniurias quam adolationes (5) remunerasse debuerant. Sed qui nihil sentiunt tam impune laeduntur, quam frustra coluntur. Certe non potest fidei convenire,(6) ut religionis meritis excrevisse videantur qui, ut suggessimus, religionem aut laedendo creverunt aut crescendo laeserunt. Etiam illi, quorum regna conflata sunt in Imperii Romani summam, cum ea amitterent, sine religionibus non fuerunt.

(1) *Temeraria altaria* = altaria facta sine arte ex obvia quacumque materia.

(2) *Vasa Samia* sunt vasa fictilia. *Nidor ex illis*, scilicet *vasis*, quia contenti nidore vasorum, nondum victimas immolabant.

(3) *Deus ipse nusquam* = nullum adhuc simulacrum erat divinitatis.

(4) Romani non solum deos non colebant, sed eos potius laedebant in bellis gerendis. Cfr. Min. *Octav.* 25.

(5) *Adolationes* vel, iuxta alios, *adulationes*.

(6) *Non potest convenire* = non est credibile.

XXVI. Videte igitur, ne ille regna dispenset, cuius est et orbis, qui regnatur, et homo ipse, qui regnat; ne ille vices dominationum ipsis temporibus in seculo ordinarit, qui ante omne tempus fuit et seculum corpus temporum fecit; (1) ne ille civitates extollat aut deprimat, sub quo fuit sine civitatibus aliquando gens hominum. Quid erratis? Prior est quibusdam deis suis silvestris Roma; ante regnavit (2) quam tantus ambitus Capitolii exstrueretur. Regnaverant et Babylonii ante Pontifices et Medii ante Quindecimviros et Aegyptii ante Salios et Assyrii ante Lupercos et Amazones ante virgines Vestales. Postremo si romanae religiones regna praestant, nunquam retro Iudaea regnasset despectrix communium istarum divinitatum, cuius et Deum victimis et templum donis et gentem foederibus aliquamdiu, Romani, honorastis, nunquam dominaturi eius, si Deo non deliquisset, ultimo in Christum. (3)

XXVII. Satis haec adversus intentationem laesae divinitatis, quo non videamur laedere eam, quam ostendimus non esse. Igitur provocati ad sacrificandum obstruimus gradum pro fide conscientiae nostrae, qua certi sumus ad quos ista perveniant officia sub imaginum prostitutione et humanorum nominum consecratione. Sed quidam dementiam existimant, quod, cum possumus et sacrificare in praesenti et illaesi abire, manente apud animum proposito, obstinationem saluti praeferamus.

Datis scilicet consilium, quo vobis abutamur; sed agnoscimus unde talia suggerantur, quis totum hoc agitet et quomodo nunc astutia suadendi, nunc duritia saeviendi ad constantiam nostram deiciendam operetur. Ille scilicet spiritus

(1) *Seculum corpus temporum fecit* = Deus temporum evolutionem sic moderatus est, ut variae periodi corpus veluti quoddam temporis efforment.

(2) Subintelligitur *Roma*.

(3) Iudaei numquam subiugati fuissent a Romanis, nisi peccassent antea contra Christum, seu captivitas Iudaeorum poena deicidii fuit.

daemoniacae et angelicae paraturae,[1] qui noster ob divortium aemulus [2] et ob Dei gratiam invidus, de mentibus vestris adversus nos praeliatur occulta inspiratione modulatis et subornatis ad omnem, quam in primordio exorsi sumus et iudicandi perversitatem et saeviendi iniquitatem. Nam licet subiecta sit nobis tota vis daemonum et eiusmodi spirituum, ut nequam tamen et servi metu nonnunquam contumaciam miscent, et laedere gestiunt, quos alias verentur. Odium enim etiam timor spirat. Praeterquam et desperata conditio eorum ex praedamnatione solatium reputat fruendae interim malignitatis de poenae mora.[3] Et tamen apprehensi subiguntur, et conditioni suae subcidunt, et quos de longinquo oppugnant, de proximo obsecrant. Itaque cum vice rebellantium ergastulorum sive carcerum vel metallorum vel hoc genus poenalis servitutis erumpunt adversus nos, in quorum potestate sunt, certi et impares se esse et hoc magis perditos,[4] ingratis resistimus ut aequales et repugnamus perseverantes in eo, quod oppugnant, et illos nunquam magis detriumphamus, quam cum pro fidei obstinatione damnamur.

XXVIII. Quoniam autem facile iniquum videretur liberos homines invitos urgeri ad sacrificandum, nam et alias divinae rei faciundae libens animus indicitur, certe ineptum existimaretur, si quis ab alio cogeretur ad honorem deorum, quos ultro sui causa placare deberet, ne prae manu esset iure liber-

(1) *Angelicae paraturae* = angelicae naturae seu conditionis.

(2) Angeli mali ***aemuli*** sunt hominum propter ***divortium*** vel eorum separationem a Deo.

(3) Ex nonnullorum inter antiquos opinione, daemones licet damnati sint a Deo, ut poenas inferni patiantur, eas tamen nondum sustinent usque ad iudicium extremum, cum sententia executioni erit mandanda. Tertullianus ad hanc opinionem alludit, cum ***desperatae*** sint ***conditionis***, quia ***praedamnati*** sunt, reputant ***solatium*** accipere ***de poenae mora*** seu ex dilatione poenae, quae illis tribuit facultatem vexandi christianos.

(4) *Scientes et hoc magis perditos* = scientes quod hoc in maiorem suam perditionem et opprobrium cedit.

tatis dicere: Nolo mihi Iovem propitium; tu quis es? Me conveniat Ianus iratus, ex qua velit fronte; quid tibi mecum est? Formati estis ab iisdem utique spiritibus,(1) uti nos pro salute Imperatoris sacrificare cogatis, et imposita est tam vobis necessitas cogendi quam nobis obligatio periclitandi.

Ventum est igitur ad secundum titulum laesae augustioris maiestatis, siquidem maiore formidine et callidiore timiditate Caesarem observatis, quam ipsum de Olympo Iovem. Et merito, si sciatis. Quis enim ex viventibus quilibet non mortuo potior? Sed nec hoc vos ratione facitis potius quam respectu praesentaneae potestatis. Adeo et in isto irreligiosi erga deos vestros deprehendemini, cum plus timoris humano dominio dicatis. Citius denique apud vos per omnes deos, quam per unum genium Caesaris peieratur.

XXIX. Constet igitur prius, si isti, quibus sacrificatur, salutem Imperatoribus vel cuilibet homini impertire possunt, et ita nos crimini maiestatis addicite; si angeli aut daemones, substantia pessimi spiritus, beneficium aliquod operantur; si perditi conservant; si damnati liberant; si denique, quod in conscientia vestra est, mortui vivos tuentur. Nam utique suas primo statuas et imagines et aedes tuerentur, quae, ut opinor, Caesarum milites excubiis salva praestant. Puto autem, eae ipsae materiae de metallis Caesarum veniunt, et tota templa de nutu Caesaris constant. Multi denique dei habuerunt Caesarem iratum. Facit ad causam,(2) si et propitium, cum illis aliquid liberalitatis aut privilegii confert. Ita qui sunt in Caesaris potestate, cuius et toti sunt, quomodo habebunt salutem Caesaris in potestate, ut eam praestare posse videantur, quam facilius ipsi a Caesare consequantur? Ideo ergo committimus(3) in maiestatem imperatorum, quia illos

(1) *Formati* seu edocti et incitati *estis* ab *iisdem* utique malis *spiritibus.*

(2) *Facit ad causam* = prodest.

(3) *Committimus,* subintellige culpam.

non subicimus rebus suis, quia non ludimus de officio salutis ipsorum, qui eam non putamus in manibus esse plumbatis.(1) Sed vos irreligiosi, qui eam quaeritis, ubi non est, petitis a quibus dari non potest, praeterito eo, in cuius est potestate. Insuper eos debellatis, qui eam sciunt petere, qui etiam possunt impetrare, dum sciunt petere.(2)

XXX. Nos enim pro salute Imperatorum Deum invocamus aeternum, Deum verum, Deum vivum, quem et ipsi Imperatores propitium sibi praeter ceteros malunt. Sciunt quis illis dederit imperium; sciunt, qua homines, quis et animam; sentiunt eum esse Deum solum, in cuius solius potestate sunt, a quo sint secundi, post quem primi, ante omnes et super omnes deos. Quidni? cum super omnes homines, qui utique vivunt, et mortuis antistant. Recogitant quousque vires imperii sui valeant, et ita Deum intelligunt; adversus quem valere non possunt, per eum valere se cognoscunt. Caelum denique debellet Imperator, caelum captivum triumpho suo invehat, caelo mittat excubias, caelo vectigalia imponat. Non potest. Ideo magnus est, quia caelo minor est; illius enim est ipse, cuius et caelum est et omnis creatura. Inde est Imperator, unde et homo antequam Imperator, inde potestas illi, unde et spiritus. Illuc suspicientes christiani manibus expansis, quia innocuis, capite nudo, quia non erubescimus, denique sine monitore, quia de pectore oramus.(3) Precantes sumus omnes semper pro omnibus Imperatoribus, vitam illis prolixam, imperium securum, domum tutam, exercitus fortes, senatum fidelem, populum probum, orbem quie-

(1) Statuae deorum habebant manus brachio et brachia trunco plumbo colligata.

(2) Christiani probe noverant pro Imperatoribus orare. Cfr. S. Clement. Rom. *Epist. I. ad Corinth.* 16.

(3) *Sine monitore, quia de pectore oramus.* Mos erat apud ethnicos, ut in precibus recitandis monitor praeiret, qui de scripto legebat, ne error incideret inter tot nomina deorum aut verbum praepostere diceretur.

tum, quaecumque hominis et Caesaris vota sunt. Haec ab alio orare non possum, quam a quo me scio consecuturum, quoniam et ipse est, qui solus praestat, et ego sum, cui impetrare debetur, famulus eius, qui eum solum observo, qui propter disciplinam eius occidor, qui ei offero opimam et maiorem hostiam, quam ipse mandavit, orationem de carne pudica, de anima innocenti, de Spiritu sancto profectam, non grana thuris unius assis, arabicae arboris lacrimas, nec duas meri guttas, nec sanguinem reprobi bovis mori optantis,(1) et post omnia inquinamenta etiam conscientiam spurcam: ut mirer, cum hostiae probantur penes vos a vitiosissimis sacerdotibus, cum cuivis praecordia potius victimarum quam ipsorum sacrificantium examinantur?(2) Sic itaque nos ad Deum expansos ungulae fodiant, cruces suspendant, ignes lambant, gladii guttura detruncent, bestiae insiliant: paratus est ad omne supplicium ipse habitus orantis christiani. Hoc agite, boni praesides, extorquete animam Deo supplicantem pro Imperatore. Hic erit crimen, ubi veritas Dei et devotio est!

XXXI. — Adolati nunc sumus Imperatori et mentiti vota, quae diximus, ad evadendam scilicet vim. — Plane proficit ista fallacia. Admittitis nos enim probare quodcumque defendimus. Qui ergo putaveris nihil nos de salute Caesarum curare, inspice Dei voces, literas nostras, quas neque ipsi supprimimus et plerique casus ad extraneos transferunt.(3) Scitote ex illis, praeceptum esse nobis ad redundantiam benignitatis, etiam pro inimicis Deum orare et persecutoribus nostris bona pre-

(1) *Bovis mori optantis.* Videtur alludere ab bovem, qui in sacrificio vulneratus, mori desiderabat.

(2) Codices habent *cum quibus*; sed Kayser et Oehler corrigunt *cum cuivis.* Sensus est: cum cuilibet magis intersint praecordia victimarum, quam ipsorum sacrificantium.

(3) Propter quasdam circumstantias factum erat, ut sacrae Scripturae ad extraneos pervenirent.

cari. Qui magis inimici et persecutores christianorum quam de quorum maiestate convenimur in crimen? Sed etiam nominatim atque manifeste: *Orate,* inquit, *pro regibus et pro principibus et potestatibus, ut omnia tranquilla sint vobis.* (1) Cum enim concutitur Imperium, concussis etiam ceteris membris eius utique et nos, licet extranei a turbis ⟨aestimemur⟩, in aliquo loco casus invenimur.

XXXII. Est et alia maior necessitas nobis orandi pro Imperatoribus, etiam pro omni statu imperii rebusque romanis, qui vim maximam universo orbi imminentem ipsamque clausulam seculi, acerbitates horrendas comminantem Romani imperii commeatu scimus retardari. (2) Itaque nolumus experiri, et dum precamur differri, romanae diuturnitati favemus.

Sed et iuramus, sicut non per genios Caesarum, ita per salutem eorum, quae est augustior omnibus geniis. Nescitis genios daemonas dici et inde diminutiva voce daemonia? Nos iudicium Dei suspicimus in Imperatoribus, qui gentibus illos praefecit. Id in eis scimus esse, quod Deus voluit, ideoque et salvum volumus esse quod Deus voluit, et pro magno id iuramento habemus. Ceterum daemonas, id est genios, adiurare consuevimus, ut illos de hominibus exigamus, non deierare, ut illis honorem divinitatis conferamus.

XXXIII. Sed quid ego amplius de religione atque pietate christiana in Imperatore, quem necesse est suspiciamus ut eum, quem Dominus noster elegit, ut merito dixerim: Noster est magis Caesar, a nostro Deo constitutus? Itaque, ut meo, plus ego illi operor in salutem, si quidem non solum ab eo postulo eam, qui potest praestare, aut quod talis postulo, qui merear impetrare, sed etiam quod temperans maiestatem Caesaris infra Deum magis illum commendo Deo, cui soli

(1) I, *Tim.* II, 2.

(2) Opinio erat inter antiquos finem mundi sequi debere ruinam imperii Romani. Talis explicatio dabatur verbis Apostoli: « Nam « mysterium iam operatur iniquitatis tantum ut qui tenet, teneat, do- « nec de medio fiat » (II, *Thess.* II, 7).

subicio. Subicio autem cui non adaequo. Non enim deum Imperatorem dicam, vel quia mentiri nescio, vel quia illum deridere non audeo, vel quia nec ipse se deum volet dici. Si homo sit, interest homini Deo cedere; satis habeat appellari Imperator; grande et hoc nomen est, quod a Deo traditur. Negat illum Imperatorem, qui deum dicit; nisi homo sit, non est Imperator. Hominem se esse etiam triumphans in illo sublimissimo curru admonetur. Suggeritur enim ei a tergo: « Respice post te! (1) hominem te memento ». Et utique hoc magis gaudet, tanta se gloria coruscare, ut illi admonitio conditionis suae sit necessaria. Minor erat, si tunc deus diceretur, qui non vere diceretur. Maior est qui revocatur, ne se deum existimet. (2)

XXXIV. Augustus, Imperii formator, ne dominum quidem dici se volebat. Et hoc enim Dei est cognomen. Dicam plane Imperatorem dominum, sed more communi, sed quando non cogor, ut dominum Dei vice dicam. Ceterum liber sum illi. (3) Dominus enim meus unus est, Deus omnipotens et aeternus, idem qui et ipsius. Qui pater patriae est, quomodo dominus est? Sed et gratius nomen est pietatis quam potestatis; etiam familiae magis patres quam domini vocantur. Tanto abest, ut Imperator deus debeat dici, quod non potest credi non modo turpissima sed et perniciosa adulatione, tam-

(1) *Respice post te* multipliciter explicatur; vel de rota mobili, quae symbolum erat fortunae mutabilis; vel de servo publico, qui una cum triumphatore curro vehebatur, et auream eius coronam magni ponderis manu sustinebat; vel de captivis, qui currum triumphalem sequebantur; vel generatim de conditione humana, quae tam labilis est.

(2) Explicant critici: « Maior « est imperator si in tanta gloria « est constitutus, ut monendus sit « de conditione humana, quam si « per mendacium deus dicatur; « nam illa admonitio est argu« mentum et tacita professio sum« mae gloriae, tantae ut par sit in« ducendae oblivioni humanae con« ditionis, nisi id praecaveret ad« monitio ». Cfr. HURTER.

(3) Dominus dicit relationem ad servum. Etsi christianus imperatorem dominum appellet, tamen liber semper manet.

quam si habens Imperatorem alterum appelles.(1) Nonne maximam et inexorabilem offensam contrahes eius, quem habuisti, etiam ipsi timendam, quem appellasti? Esto religiosus in Deum, qui vis illum propitium Imperatori. Desine alium deum credere atque ita et hunc deum dicere, cui Deo opus est. Si non de mendacio erubescit adulatio eiusmodi hominem deum appellans, timeat saltem de infausto. Maledictum est(2) ante apotheosin deum Caesarem nuncupari.

XXXV. Propterea igitur publici hostes christiani, quia Imperatoribus neque vanos neque mentientes neque temerarios honores dicant; quia verae religionis homines etiam solemnia eorum conscientia potius quam lascivia celebrant. Grande videlicet officium focos et toros in publicum educere, vicatim epulari, civitatem tabernae habitu abolefacere, vino lutum cogere, catervatim cursitare ad iniurias, ad impudentias, ad libidinis illecebras.(3) Siccine exprimitur publicum gaudium per dedecus publicum? Haeccine solemnes dies principum decent, quae alios dies non decent? Qui observant disciplinam de Caesaris respectu, hi eam propter Cae-

(1) « Imperator pater patriae « esse debet, at hoc nomen longe « gratius est, quam domini. Im« peratorem ergo deum, *quod* eum « esse *credi non potest*, dicere non « debes. Nam hoc turpissima et « perniciosa adulatione significas « te alterum habere imperatorem, « qui deus non sit, sed homo, « qui tibi homini imperet ». LE NOURRY.

(2) *Maledictum est* = prohibitum est.

(3) Solemnia pro imperatoribus agebantur die tertio post calendas ianuarias et die natali seu electionis singulis annis; deinde potissimum quinto, decimo, quintodecimo et vicesimo anno a creatione; unde nomina quinquennalia, decennalia, quindecennalia, vicennalia. Porro in solemniis illis celebrandis tres praecipue virtutes conculcabantur: modestia, verecundia et pudicitia. Convivia enim publica peragebantur in plateis et in vicis, adeo ut civitas tabernae et cauponae speciem praeseferret. Intemperantia vero ac prodigalitas tanta erat ut *vinum* in mediis viis effunderent et *lutum cogerent*, simulque ebrii *catervatim cursitarent ad iniurias, ad impudentias, ad libidinum illecebras.*

sarem deserunt et malorum morum licentia pietas erit, occasio luxuriae religio deputabitur? O nos merito damnandos! Cur enim vota et gaudia Caesarum casti et sobrii et probi expungimus? (1) Cur die laeto non laureis postes obumbramus nec lucernis diem infringimus? (2) Honesta res est, solemnitate publica exigente induere domui tuae habitum alicuius novi lupanaris.

Velim tamen in hac quoque religione secundae maiestatis, (3) de qua in secundum sacrilegium convenimur christiani non celebrando vobiscum solemnia Caesarum, quo more celebrari nec modestia nec verecundia nec pudicitia permittunt, sed occasio voluptatis magis quam digna ratio persuasit, fidem et veritatem vestram demonstrare, ne forte et isthic deteriores christianis deprehendantur, qui nos nolunt Romanos haberi, sed ut hostes principum romanorum. Ipsos Quirites, ipsam vernaculam septem collium plebem convenio, an alicui Caesari suo parcat illa lingua romana? Testis est Tiberis, et scholae bestiarum. (4) Iam si pectoribus ad translucendum quandam specularem materiam natura obduxisset, cuius non praecordia insculpta apparerent novi ac novi Caesaris scenam congiario dividundo praesidentis, etiam illa hora qua acclamant:

> De nostris annis tibi Iupiter augeat annos? (5)

Haec christianus tam enunciare non novit quam de novo Caesare optare.

(1) *Expungimus* = persolvimus vota et celebramus gaudia.

(2) Domorum postes diebus solemnibus lauris et luminibus ornabantur.

(3) *Secundae* post Deum *maiestatis* seu Caesarum.

(4) *Testis est Tiberis*, fortassis quia plebs habitabat ad ripas Tiberis, dum potentes colles tenebant; *et scholae bestiarum* sunt vel amphitheatra, in quibus multa plebs concurrebat, vel locus, ubi damnati ad bestias exercebantur. Haec loca poterant dicteria et contumelias contra imperatorem testari.

(5) Novi Caesares *congiario* seu muneri pecuniario plebi aut mili-

— Sed vulgus, inquis. — Ut vulgus, tamen Romani, nec ulli magis depostulatores christianorum(1) quam vulgus. Plane ceteri ordines pro auctoritate religiosi ex fide: nihil hosticum de ipso senatu, de equite, de castris, de palatiis ipsis spirat.(2) Unde Cassii et Nigri et Albini?(3) unde qui inter duas laurus obsident Caesarem?(4) unde qui faucibus eius exprimendis palaestricam exercent?(5) unde qui armati palatium irrumpunt, omnibus tot Sigeriis atque Partheniis audaciores?(6) De Romanis, nisi fallor, id est de non christianis. Atque adeo omnes illi sub ipsa usque impietatis eruptione et sacra faciebant pro salute Imperatoris et genium eius deierabant, alii foris, alii intus, et utique publicorum hostium nomen christianis dabant.

Sed et qui nunc scelestarum partium socii aut plausores quotidie revelantur, post vindemiam parricidarum racematio superstes, quam recentissimis et ramosissimis laureis postes praestruebant, quam elatissimis et clarissimis lucernis vestibula nebulabant, quam cultissimis et superbissimis toris forum

tibus *dividundo praesidebant* aut adstabant. Hinc qui acclamabant Imperatoribus: *De nostris annis tibi Iupiter augeat annos!* ficte omnino loquebantur, quia novum congiarium optantes, mortem potius quam vitam Imperatoris desiderabant et *novum ac novum Caesarem*. Quae consilia quilibet cognovisset, si *materia specularis* praecordia hominum obduxisset.

(1) *Depostulatores christianorum* ad mortem. Clamabant enim: *Christianos ad leonem!*

(2) Ironice loquitur Tertullianus. Non solum vulgus, sed etiam proceres imperatores oderant.

(3) Cassius Clemens, Pescennius Niger et Albinus moliti sunt insidias contra Severum imperatorem.

(4) Allusio Commodum respicere videtur. Explicatio phrasis *inter duas lauros* triplex exhibetur: 1° *in amphitheatri aditu*, ubi lauri dicuntur fuisse plantati; 2° *in laureto*, quo Commodus secesserat tempore pestis; 3° inter duo palatia Commodi, quia laurus *ianitrix* est Caesarum. Herodianus testatur obsessum Commodum in aditu amphitheatri; alii Pompeiano, alii Quadrato facinus tribuunt.

(5) Commodus compressis faucibus exstinctus est a Narcisso.

(6) Pertinax occisus est a perduellibus sicariis, qui in palatium irruperunt. Sigerius et Parthenius Domitianum necarunt.

sibi dividebant, non ut gaudia publica celebrarent, sed ut vota propria iam ediscerent in aliena solemnitate et exemplum atque imaginem spei suae inaugurarent, nomen principis in corde mutantes![1] Eadem officia dependunt et qui astrologos et haruspices et augures et magos de Caesarum capite consultant; quas artes ut ab angelis desertoribus proditas et a Deo interdictas ne suis quidem causis adhibent christiani. Cui autem opus est perscrutari super Caesaris salute, nisi a quo aliquid adversus illam cogitatur vel optatur, aut post illam speratur et sustinetur?[2] Non enim ea mente de caris consulitur, qua de dominis. Aliter curiosa est sollicitudo sanguinis, aliter servitutis.

XXXVI. Si haec ita sunt, ut hostes deprehendantur qui Romani vocabantur, cur nos, qui hostes existimamur, Romani negamur? Non possumus et Romani non esse et hostes esse, cum hostes reperiantur qui Romani habebantur. Adeo pietas et religio et fides Imperatoribus dedita non in huiusmodi officiis consistit, quibus et hostilitas magis ad velamentum sui potest fungi, sed in his moribus, quibus divinitas imperat tam vere in Imperatorem quam circa omnes necesse habet exhiberi.[3] Neque enim haec opera bonae mentis solis Imperatoribus debentur a nobis. Nullum bonum sub exceptione personarum administramus, quia nobis praestamus,[4] qui non ab homine aut laudis aut praemii expensum captamus, sed a Deo exactore et remuneratore indiffe-

(1) Perfida omnino erat agendi ratio coniuratorum, quos Tertullianus *parricidas* appellat, quia contra Imperatorem, qui pater patriae appellabatur, moliebantur iniqua. Fingebant honorare Imperatorem *laureis instruendo* postes, *lucernis nebulantes vestibula*, epulas in publico foro super toros accumbentes celebrando; sed in corde nomen novi Imperatoris abscondebant.

(2) *Sustinetur* = expectatur.

(3) Vera devotio et *fides* erga Imperatores consistit in moribus illis, quos Deus praecipit tam erga Imperatorem quam erga alios homines esse exhibendos.

(4) *Nobis praestamus* = nostrum bonum exigit.

rentis benignitatis. (1) Idem sumus Imperatoribus qui et vicinis nostris. Male enim velle, male facere, male dicere, male cogitare de quoquam ex aequo vetamur. Quodcumque non licet in Imperatorem, id nec in quemquam; quod in neminem, eo forsitan magis nec in ipsum, qui per Deum tantus est.

XXXVII. Si inimicos, ut supra diximus, iubemur diligere, quem habemus odisse? Item si laesi vicem referre prohibemur, ne de facto pares simus, (2) quem possumus laedere? Nam de isto ipsi recognoscite. Quotiens enim in christianos desaevitis, partim animis propriis, partim legibus obsequentes? Quotiens etiam, praeteritis vobis, suo iure nos inimicum vulgus invadit lapidibus et incendiis? Ipsis bacchanalium furiis nec mortuis parcunt christianis, quin illos de requie sepulturae, de asylo quodam mortis, iam alios, iam nec totos (3) avellant, dissecent, distrahant. Quid tamen unquam denotatis de tam conspiratis, de tam animatis ad mortem usque pro iniuria repensati, quando vel una nox pauculis faculis largiter ultionis posset operari, si malum malo dispungi penes nos liceret? (4) Sed absit, ut aut igni humano vindicetur divina secta aut doleat pati, in quo probatur.

Si enim et hostes exsertos, non tantum vindices occultos agere vellemus, deesset nobis vis numerorum et copiarum? Plures nimirum Mauri et Marcomanni ipsique Parthi, vel quantaecumque unius tamen loci et suorum finium gentes

(1) *Benignitas indifferens* = absque personarum acceptione.

(2) *Ne de facto pares simus* = ne si laedamus offensorem, eiusdem criminis rei efficiamur.

(3) *Iam alios*, quia post mortem immutantur; *iam nec totos*, quia partes quaedam corrumpuntur.

(4) Diversae lectiones codices habent; *repensatis*, Erlangensis solus *repensatum*, eamque lectionem sequuntur Fulvius Ursinus, Oehler; Kayser legit *repensati*. Sensus est: christiani possent quidem vindictam sumere contra ethnicos, sed ab illa abstinent, quippe quae evangelica doctrina severe prohibeatur.

quam totius orbis? (1) Hesterni sumus, et vestra omnia implevimus, urbes, insulas, castella, municipia, conciliabula, castra ipsa, tribus, decurias, palatium, senatum, forum; sola vobis relinquimus templa. Cui bello non idonei, non prompti fuissemus etiam impares copiis, qui tam libenter trucidamur, si non apud istam disciplinam magis occidi liceret quam occidere?

Potuimus et inermes nec rebelles, sed tantummodo discordes, solius divortii invidia adversus vos dimicasse. (2) Si enim tanta vis hominum in aliquem orbis remoti sinum abrupissemus a vobis, suffudisset utique dominationem vestram tot qualiumcumque civium amissio, imo etiam et ipsa destitutione punisset. Procul dubio expavissetis ad solitudinem vestram, ad silentium rerum et stuporem quendam quasi mortuae urbis: quaesissetis quibus imperaretis. Plures hostes quam cives vobis remansissent. (3) Nunc enim pauciores hostes habetis prae multitudine christianorum, paene omnium civitatum paene omnes cives christianos habendo. Sed hostes maluistis vocare generis humani potius quam erroris humani.

Quis autem vos ab illis occultis et usquequaque vastantibus mentes et valetudines vestras hostibus raperet, a daemoniorum incursibus dico, quae de vobis sine praemio, sine mercede depellimus? Suffecisset hoc solum nostrae ultioni, quod vacua exinde possessio (4) immundis spiritibus

(1) Quoniam christiani totum orbem occupant, longe plures sunt quam Mauri et Marcomanni. Ex huiusmodi testimonio Tertulliani deducitur quam late eo tempore fuerit propagata religio christiana.

(2) *Dimicare solius divortii invidia* est dimicare discedendo tantum ab imperio Romano.

(3) Si christiani discessissent, remansissent tantummodo ethnici. Iam ethnici inimici erant Imperatorum, ut supra, c. 35, Tertullianus demonstraverat. Hinc plures hostes quam cives.

(4) *Vacua possessio* = aditus liber. In hypothesi quod christiani discessissent, daemones habuissent aditum liberum ad gentiles possidendos et vexandos.

pateret. Porro nec tanti praesidii compensationem cogitantes, non modo non molestum vobis genus, verum etiam necessarium hostes iudicare maluistis, [1] quia sumus plane, non generis humani tamen, sed potius erroris.

XXXVIII. Proinde nec paulo lenius inter licitas factiones sectam istam deputari oportebat, a qua nihil tale committitur, quale de illicitis factionibus timeri solet? Nisi fallor enim, prohibendarum factionum causa de providentia constat modestiae publicae, [2] ne civitas in partes scinderetur, quae res facile comitia, concilia, curias, conciones, spectacula etiam aemulis studiorum compulsationibus inquietaret; cum iam et in quaestu habere coepissent venalem et mercenariam homines violentiae suae operam. At enim nobis ab omni gloriae et dignitatis ardore frigentibus, nulla est necessitas coetus, nec ulla magis res aliena, quam publica. Unam omnium rempublicam agnoscimus, mundum.

Aeque spectaculis vestris in tantum renunciamus, in quantum originibus eorum, quas scimus de superstitione conceptas, cum et ipsis rebus, de quibus transiguntur, praetersumus. [3] Nihil est nobis dictu, visu, auditu cum insania circi, cum impudicitia theatri, cum atrocitate arenae, cum xysti [4] vanitate. Quo vos offendimus, si alias praesumimus voluptates? Si oblectari novisse nolumus, nostra iniuria est, si forte, non vestra. Sed reprobamus quae placent vobis.

(1) Christiani erant genus non molestum, sed necessarium gentilibus, quia beneficia illis conferebant.

(2) *De providentia modestiae publicae* = factiones prohibentur, ut provideatur modestiae seu tranquillitati publicae.

(3) « Eleganter dicit Tertullia-
« nus christianos praeteresse illis
« ipsis rebus, de quibus spectacula
« transiguntur, id est quae eorum
« est materia, scilicet furor, libido,
« crudelitas, quoniam hisce renun-
« ciarunt christiani facti, adeoque
« illis amplius non vivunt, sed
« mortui sunt, ut loquitur Petrus I
« *Epist.* II, 1 sqq. et Paulus etiam
« *Rom.* VI, 2; *Coloss.* III, 7, imo
« nulli sunt rebus humanis »; HAVERCAMP.

(4) *Xysti* = stadii vel arenae, in qua athletae pugnabant.

Nec vos nostra delectant. Si licuit Epicureis aliquam decernere voluptatis veritatem, id est animi aequitatem, et ampla negotia christianae. (1)

XXXIX. Edam iam nunc ego ipse negotia christianae factionis, ut qui mala refutaverim, bona ostendam. Corpus sumus de conscientia religionis et disciplinae unitate et spei foedere. Coimus in coetum et congregationem, ut ad Deum quasi manu facta (2) precationibus ambiamus orantes. Haec vis Deo grata est. Oramus etiam pro Imperatoribus, pro ministris eorum et potestatibus, pro statu seculi, pro rerum quiete, pro mora finis. Coimus ad literarum divinarum commemorationem, si quid praesentium temporum qualitas aut praemonere cogit aut recognoscere. Certe fidem sanctis vocibus pascimus, spem erigimus, fiduciam figimus, disciplinam praeceptorum nihilominus inculcationibus densamus. (3) Ibidem etiam exhortationes, castigationes et censura divina. (4) Nam et iudicatur magno cum pondere, ut apud certos de Dei conspectu, summumque futuri iudicii praeiudicium est, si quis ita deliquerit, ut a communicatione orationis et conventus et omnis sancti commercii relegetur. Praesident probati quique seniores, honorem istum non pretio, sed testimonio adepti, neque enim pretio ulla res Dei constat.

Etiam si quod arcae genus est, non de honoraria summa (5) quasi redemptae religionis congregatur. Modicam unusquisque stipem menstrua die, vel cum velit et si modo

(1) Mira diversitas in manuscriptis et in editionibus. Sensus videtur: si licuit Epicureis aliam statuere voluptatem (quorum sententiam non omnes sequuntur), licet etiam christianae sectae quaerere suam voluptatem in aliquo alio ab eo, quod vulgus romanum sectatur.

(2) *Quasi manu facta* = quasi aggressione facta ad orationem accedimus.

(3) *Disciplina praeceptorum inculcationibus densamus* seu restringimus, ne a divina lege aberret.

(4) *Censura divina* = excommunicatio.

(5) *Non de honoraria summa* = pecunia non exigebatur pro admissione in religionem christianam.

velit et si modo possit, apponit. Nam nemo compellitur, sed sponte confert. Haec quasi deposita pietatis sunt. Nam inde non epulis nec potaculis nec ingratiis voratrinis (1) dispensatur, sed egenis alendis humandisque et pueris ac puellis re ac parentibus destitutis iamque domesticis senibus, item naufragis et si qui in metallis, et si qui in insulis vel in custodiis, dumtaxat ex causa Dei sectae, alumni confessionis suae fiunt.

Sed eiusmodi vel maxime dilectionis operatio notam nobis inurit penes quosdam. « Vide », inquiunt, « ut invicem se diligant »; ipsi enim invicem oderunt; « et ut pro alterutro mori sint parati »; ipsi enim ad occidendum alterutrum paratiores erunt. Sed et quod fratres nos vocamus, non alias, opinor, insaniunt, quam quod apud ipsos omne sanguinis nomen de affectione simulatum est. Fratres autem etiam vestri sumus iure naturae, matris unius, etsi vos parum homines, quia mali fratres. At quanto dignius fratres et dicuntur et habentur, qui unum Patrem Deum agnoverunt, qui unum Spiritum biberunt sanctitatis, qui de uno utero ignorantiae eiusdem ad unam lucem expaverunt veritatis? Sed eo fortasse minus legitimi existimamur, quia nulla de nostra fraternitate tragoedia (2) exclamat, vel quia ex substantia familiari fratres sumus, quae penes vos fere dirimit fraternitatem.

Itaque qui animo animaque miscemur, nihil de rei communicatione dubitamus. Omnia indiscreta sunt apud nos praeter uxores. In isto loco consortium solvimus, in quo solo ceteri homines consortium exercent, qui non amicorum solummodo matrimonia usurpant, sed et sua amicis sapientissime subministrant; ex illa, credo, maiorum et sapientissi-

(1) *Ingratiis* (al. *ingratis*) *voratrinis* = mensis luxuriosis, quarum nulla est utilitas et fructus.

(2) Tragoediae ethnicorum plenae erant odiis et homicidiis sive apud Graecos, sive apud Latinos.

morum disciplina graeci Socratis et romani Catonis, qui uxores suas amicis communicaverunt, quas in matrimonium duxerant liberorum causa et alibi creandorum. Nescio quidem an invitas; quid enim de castitate curarent, quam mariti tam facile donaverant? O sapientiae atticae, o romanae gravitatis exemplum: leno est philosophus et censor. Quid ergo mirum, si tanta caritas conviolatur? (1)

Nam et coenulas nostras, praeterquam sceleris infames, ut prodigas quoque suggillatis. De nobis scilicet Diogenis dictum est: « Megarenses obsonant quasi crastina die morituri, aedificant vero quasi nunquam morituri ». Sed stipulam quis in alieno oculo facilius perspicit, quam in suo trabem. Tot tribubus et curiis et decuriis ructantibus acescit aër; Saliis coenaturis creditor erit necessarius; Herculanarum decimanarum et polluctorum sumptus tabularii supputabunt; Apaturiis, Dionysiis, mysteriis Atticis coquorum dilectus indicitur; ad fumum coenae Serapiacae sparteoli excitabuntur.(2) De solo triclinio christianorum retractatur.

Coena nostra de nomine (3) rationem sui ostendit: id

(1) Caritas vel respectu ethnicorum vel christianorum accipitur. Si primum, sensus est: quid mirum si caritas coniugalis violatur, si violatur castitas coniugalis?; sin alterum: quid mirum si caritas christianorum derisui exponitur?

(2) « Graphice describit luxum « conviviorum publicorum. Saliis « sacerdotibus a Numa in honorem « Martis (vel Herculis) institutis « *coenaturis creditor erat necessarius*, « quia nullus erat par impensas illo« rum de repente solvendo. *Hercu« lanarum* etc. De coenis loquitur « in Herculis honorem; de his ait « tantos fuisse sumptus, ut soli « publici tabularii, computandis « maximis expensarum summis as« suefacti, illos numerare vix pos« sent. *Apaturiis*. Loquitur hic « de variis gentilium festis, in qui« bus coenae tanta copia ciborum « delicatissimorum celebrabantur, « ut ad hos conficiendos coqui pe« ritiores seligerentur. *Sparteoli* « custodes erant ad incendia restin« guenda destinati. Significat tanto « apparatu coenam in honorem Se« rapidis fuisse paratam, ut pro« pter fumum ingentem hi custodes « putare possent, ortum esse in« cendium »; HURTER.

(3) Appellabatur ἀγάπη = caritas vel dilectio.

vocatur quod dilectio penes graecos. Quantiscumque sumptibus constet, lucrum est, pietatis nomine facere sumptum, siquidem inopes quosque refrigerio isto iuvamus, non qua penes vos parasiti affectant ad gloriam famulandae libertatis sub auctoramento ventris inter contumelias saginandi, (1) sed qua penes Deum maior est contemplatio mediocrium. Si honesta causa est convivii, reliquum ordinem disciplinae de causa aestimate. Quod sit de religionis officio, nihil vilitatis, nihil immodestiae admittit. Non prius discumbitur, quam oratio ad Deum praegustetur; editur quantum esurientes capiunt; bibitur quantum pudicis utile est. Ita saturantur, ut qui meminerint etiam per noctem adorandum Deum sibi esse; ita fabulantur, ut qui sciant Dominum audire. Post aquam manualem et lumina, (2) ut quisque de Scripturis sanctis vel de proprio ingenio potest, provocatur in medium, Deo canere; hinc probatur quomodo biberit. Aeque oratio convivium dirimit. Inde disceditur non in catervas caesionum, nec in classes discursationum, nec in eruptiones lasciviarum, sed ad eandem curam modestiae et pudicitiae, ut qui non tam coenam coenaverint, quam disciplinam.

Haec coitio christianorum merito sane illicita, si illicitis par; merito damnanda, si quis de ea queritur eo titulo, quo

(1) *Non qua* (non sicut) *penes vos parasiti affectant* (desiderant) *ad gloriam famulandae libertatis* (ad vendendam suam libertatem), *sub auctoramento ventris* (quasi mercede et stipendio ventris) *inter contumelias saginandi*, adeo ut inter convivia, in quibus saginantur, possint alapis et patellis caedi, conspui, et omni contumelia affici.

(2) Mos erat ethnicis, ut manus abluerent ante (κατὰ χειρός) et post coenam (ἀπονίψασθαι), eumque christiani, utpote innocentem, in suis synaxibus servarunt. Sic explicatur, quod dicit Tertullianus *post aquam*; sed difficiliora sunt verba *et lumina* (alii *ad lumina*). Censet Le Nourry Tertullianum « monitos procul dubio nos esse « voluisse tunc accensa fuisse lu« mina ; quia sub vesperam chri« stiani congregabantur, coena« bantque finito iam die » (op. c.).

de factionibus querela est. In cuius perniciem aliquando convenimus? Hoc sumus congregati quod et dispersi: hoc universi quod et singuli, neminem laedentes, neminem contristantes. Cum probi, cum boni coëunt; cum pii, cum casti congregantur, non est factio dicenda, sed curia. (1)

XL. At e contrario illis nomen factionis accommodandum est, qui in odium bonorum et proborum conspirant, qui adversum sanguinem innocentium conclamant, praetexentes sane ad odii defensionem illam quoque vanitatem, quod existiment omnis publicae cladis, omnis popularis incommodi christianos esse in causam. Si Tiberis ascendit in moenia, si Nilus non ascendit in arva, si caelum stetit, si terra movit, si fames, si lues, statim: « Christianos ad leonem! » acclamatur. Tantos ad unum? (2)

Oro vos, ante Tiberium, id est ante Christi adventum, quantae clades orbem et urbes ceciderunt? Legimus Hieran, Anaphen et Delon et Rhodon et Co insulas multis cum millibus hominum pessum abisse. Memorat et Plato maiorem Asiae vel Africae terram Atlantico mari ereptam. Sed et mare Corinthium terrae motus ebibit, et vis undarum Lucaniam abscissam in Siciliae nomen relegavit. Haec utique non sine iniuria incolentium accidere potuerunt.

Ubi vero tunc, non dicam deorum vestrorum contemptores christiani, sed ipsi dei vestri, cum totum orbem cataclysmus abolevit, vel, ut Plato putavit, campestre solummodo? (3) Posteriores enim illos clade diluvii contestantur ipsae urbes, in quibus nati mortuique sunt, etiam quas condiderunt; (4) neque enim alias hodiernum manerent, nisi et

(1) *Curia* ubi ordo et dignitas servatur.

(2) *Tantos* christianos ad *unum* leonem? Vide igitur quomodo confirmatur lata diffusio religionis christianae.

(3) Iuxta Platonem diluvium non obduxit altitudines montium, sed tantum campos; unde *campestre*.

(4) Sive *urbes in quibus dii nati vel mortui sunt, sive urbes* quas dii

ipsae posthumae cladis illius. Nondum iudaeum ab Aegypto examen Palaestina susceperat, nec iam illic christianae sectae origo consederat, cum regiones affines eius Sodoma et Gomorrha igneus imber exussit. Olet adhuc incendio terra, et si qua illic arborum poma, conantur oculis tenus, ceterum contacta cinerescunt. (1) Sed nec Tuscia iam tunc atque Campania de christianis querebantur, cum Vulsinios de caelo, Pompeios de suo monte perfudit ignis. Nemo adhuc Romae Deum verum adorabat, cum Hannibal apud Cannas per romanos annulos caedes suas modio metiabatur. (2) Omnes dei vestri ab omnibus colebantur, cum ipsum Capitolium Senones occupaverant. Et bene quod, si quid adversi urbibus accidit, eaedem clades templorum, quae et moenium fuerunt, ut iam hoc revincam, non ab eis evenire, quia et ipsis evenit.

Semper humana gens male de Deo meruit; primo quidem ut inofficiosa eius, quem cum intelligeret ex parte, non requisivit, sed et alios insuper sibi commentata, quos coleret; dehinc quod non inquirendo innocentiae magistrum et nocentiae iudicem et exactorem, omnibus vitiis et criminibus inolevit. Ceterum si requisisset, sequebatur, ut cognosceret requisitum et recognitum observaret et observatum propitium magis experiretur, quam iratum. Eundem igitur nunc quoque scire debet iratum, quem et retro semper, priusquam christiani nominarentur. Cuius bonis utebatur

*condiderunt* testantur eos esse *posteriores* diluvio.

(1) Narrat Iosephus Flavius in regione ubi antea fuerant Sodoma et Gomorrha adhuc videri reliquias ignis divini, et fructus, licet edulibus similes, manibus attactos in fumum et cinerem resolvi (*De bello Iudaico*, V, 5; cfr. August. *De Civit. Dei*, XXI, 3; Tacit. *Hist.* V, paulo post init.).

(2) Hannibal post victoriam ad Cannas numerum Romanorum, qui in praelio ceciderant, singillatim non recensuit, sed modio per eorum annulos metiebatur. Cfr. Liv. *Hist.* XXIII, 12; Plin. *Natur. hist.* XXXIII, 1; Aug. *De Civit. Dei* III, 19. Tanta fuit clades illa Romanorum.

ante editis, quam sibi deos fingeret, cur non ab eo etiam mala intelligat evenire, cuius bona esse non sensit? Illius rea est, cuius et ingrata.

Et tamen si pristinas clades comparemus, leviora nunc accidunt, ex quo christianos a Deo orbis accepit. Ex eo enim et innocentia seculi iniquitates temperavit et deprecatores Dei esse coeperunt. Denique cum ab imbribus aestiva, hiberna suspendunt (1) et annus in cura est, (2) vos quidem quotidie pasti statimque pransuri balneis et cauponis et lupanaribus operantibus, aquilicia Iovi immolatis, (3) nudipedalia populo denunciatis, (4) caelum apud Capitolium quaeritis, nubila de laquearibus (5) expectatis, aversi ab ipso et Deo et coelo. Nos vero ieiuniis aridi et omni continentia expressi, (6) ab omni vitae fruge dilati, (7) in sacco et cinere volutantes invidia caelum tundimus, (8) Deum tangimus et cum misericordiam extorserimus, Iupiter honoratur.

XLI. Vos igitur importuni rebus humanis, vos rei publicorum incommodorum, vos malorum illices semper, apud quos Deus spernitur, statuae adorantur. Etenim credibilius

(1) *Cum ab imbribus aestiva, hiberna* tempora *suspendunt*, seu cum non pluit neque aestate, neque hieme.

(2) *Annus in cura est* = cum timetis de annona.

(3) « *Aquilicium* vel *aquaelicium* « dicitur cum aqua pluvialis re- « mediis quibusdam elicitur, ut « quondam, si creditur, *manali* « *lapide* in Urbem ducto. *Mana-* « *lem lapidem* vocabant petram « quandam, quae erat extra portam « Capenam, iuxta aedem Martis, « quam cum propter nimiam sic- « citatem in Urbem protraherent, « insequebatur pluvia statim, eam- « que *quod aquas manaret*, *manalem* « *lapidem* dixere » (FEST. *De verb. signific.* 20 ad v. *Aquilicium* et *Manalis*).

(4) *Nudipedalia* in eo consistebant, quod gentiles nudis pedibus quibusdam solemnibus diebus vel temporibus templa adirent.

(5) *De laquearibus*, scilicet templi.

(6) *Expressi* = macerati.

(7) *Ab omni vitae fruge dilati* = abstinentes ab omni commodo.

(8) *Invidia caelum tundimus* = contenta oculorum acie in caelum respicimus, vel melius: adeo enixe petimus, ut invidiam faciamus caelo, quatenus Deum, nisi precibus annuat, invidia immisericordiae onerare videamur.

haberi debet eum irasci, qui negligatur, quam qui coluntur; aut nae illi iniquissimi, si propter christianos etiam cultores suos laedunt, quos separare deberent a meritis christianorum.

Hoc, inquitis, et in Deum vestrum repercutere est, si quod et ipse patiatur, propter profanos etiam cultores suos laedi. Admittite prius dispositiones eius, et non retorquebitis. Qui enim semel aeternum iudicium destinavit post seculi finem, non praecipitat discretionem, quae est conditio iudicii, ante seculi finem. Aequalis est interim super omne hominum genus et indulgens et increpans; communia voluit esse et commoda profanis et incommoda suis, ut pari consortio omnes et lenitatem eius et severitatem experiremur. Quia haec ita didicimus apud ipsum, diligimus lenitatem, metuimus severitatem; vos contra utramque despicitis: et sequitur, ut omnes seculi plagae nobis, si forte, in admonitionem, vobis in castigationem a Deo obveniant.

Atquin nos nullo modo laedimur; in primis quia nihil nostra refert in hoc aevo, nisi de eo quam celeriter excedere: dehinc, quia si quid adversi infligitur, vestris meritis deputatur. Sed etsi aliqua nos quoque praestringunt ut vobis cohaerentes, laetamur magis recognitione divinarum praedicationum, confirmantium scilicet fiduciam et fidem spei nostrae. Sin vero ab eis, quos colitis, omnia vobis mala eveniunt nostri causa, quid colere perseveratis tam ingratos, tam iniustos, qui magis vos in dolore christianorum (1) iuvare et asserere debuerant, quos separare deberent a meritis christianorum?

XLII. Sed alio quoque iniuriarum titulo postulamur: et infructuosi in negotiis dicimur. Quo pacto homines vobiscum degentes, eiusdem victus, habitus, instructus,(2) eiusdem ad vitam necessitatis? Neque enim brachmanae aut Indorum gymnosophistae sumus, silvicolae et exsules vitae. Memini-

(1) *In dolore christianorum* = ad maiorem christianorum dolorem.

(2) *Instructus* apparatum significat.

mus gratiam nos debere Deo, Domino, Creatori; nullum fructum operum eius repudiamus, plane temperamus, ne ultra modum aut perperam utamur. Itaque non sine foro, non sine macello, non sine balneis, tabernis, officinis, stabulis, nundinis vestris ceterisque commerciis cohabitamus in hoc seculo. Navigamus et nos vobiscum et militamus et rusticamur et mercatus proinde miscemus, artes, opera nostra publicamus usui vestro. Quomodo infructuosi videmur negotiis vestris, cum quibus et de quibus vivimus, non scio.

Sed si caeremonias tuas non frequento, attamen et illa die homo sum. Non lavor diluculo Saturnalibus ne et noctem et diem perdam; attamen lavor honesta hora et salubri, quae mihi et calorem et sanguinem servet: rigere et pallere post lavacrum mortuus possum. (1) Non in publico Liberalibus discumbo, quod bestiariis supremam coenantibus mos est; (2) attamen ubiubi de copiis tuis coeno. Non emo capiti coronam. Quid tua interest, emptis nihilominus floribus quomodo utar? Puto gratius esse liberis et solutis et undique vagis. Sed etsi in coronam coactis, nos coronam naribus novimus; viderint qui per capillum odorantur. Spectaculis non convenimus; quae tamen apud illos coetus venditantur si desideravero, liberius de propriis locis sumam. (3) Thura

(1) *Saturnalia* in honorem Saturni agrorum praesidis instituta, mense decembri per quinque aut septem dies celebrabantur. Diluculo fiebat lavacrum, et quoniam tempus hiemale erat, *rigere et pallere* faciebat omnes, qui in aquam, cum maximo periculo, sese immergebant. Tunc plurima inhonesta ab ethnicis committebantur.

(2) *Liberalia* in honorem Liberi seu Bacchi celebrabantur propter demonstratam gratiam vini. Gladiatores vero pridie quam in arena descenderent, pugnaturi inter se vel cum bestiis, lautam coenam publice agebant, quae *suprema* erat.

(3) Nundinatores soliti erant illuc confluere, ubi spectacula exhibebantur, quia multitudo quae spectaculis intererat, res comparabat. Quoniam christiani spectacula non frequentabant, nullam ipsi utilitatem nundinatoribus afferebant. Hinc orta accusatio; sed vana, quia poterant necessaria emere *de propriis locis*, seu ex solitis offi-

plane non emimus. Si Arabiae queruntur, sciant Sabaei pluris et carioris suas merces christianis sepeliendis profligari quam deis fumigandis.

— Certe, inquitis, templorum vectigalia quotidie decoquunt;(1) stipes quotusquisque iam iactat? — Non enim sufficimus et hominibus et deis vestris mendicantibus opem ferre, nec putamus aliis quam petentibus impertiendum. Denique porrigat manum Iupiter et accipiat, cum interim plus nostra misericordia insumit vicatim quam vestra religio templatim.(2) Sed cetera vectigalia gratias christianis agent ex fide dependentibus debitum, qua alieno fraudando abstinemus; ut si ineatur quantum vectigalibus pereat fraude et mendacio vestrarum professionum, facile ratio haberi possit, unius speciei querela compensata pro commodo ceterarum rationum.

XLIII. Plane confitebor, quinam, si forte, vere de sterilitate christianorum conqueri possint. Primi erunt lenones, perductores, aquarioli;(3) tum sicarii, venenarii, magi; item haruspices, harioli, mathematici. His infructuosos esse magnus est fructus. Et tamen quodcunque dispendium est rei vestrae per hanc sectam, cum aliquo utique praesidio(4) compensari potest. Quanti habetis, non dico qui de vobis daemonia excutiant; non dico iam qui pro vobis quoque vero Deo preces sternant, quia forte non creditis; sed a quibus nihil timere possitis?

XLIV. At enim illud detrimentum reipublicae tam grande quam verum nemo circumspicit, illam iniuriam civitatis nul-

cinis et tabernis, ubi consueto more venalia omnia exstabant.

(1) *Templorum vectigalia quotidie decoquunt* seu minuuntur. Hoc exinde derivabat, quod christiani stipem seu nummum signatum templis non solvebant.

(2) Plus a christianis *insumebatur* in eleemosynis faciendis *vicatim* seu per vicos, quam a gentilibus *templatim* in suis diis colendis.

(3) *Perductores* et *aquarioli* pertinebant ad turbam lenonum.

(4) *Praesidio* = lucro vel commodo.

lus expendit, cum tot iusti impendimur, cum tot innocentes erogamur. Vestros enim iam contestamur actus, qui quotidie iudicandis custodiis praesidetis, qui sententiis elogia dispungitis.(1) Tot a vobis nocentes variis criminum elogiis recensentur; quis illic sicarius, quis manticularius,(2) quis sacrilegus aut corruptor aut lavantium praedo, quis ex illis etiam christianus adscribitur? aut cum christiani suo titulo offeruntur, quis ex illis etiam talis, quales tot nocentes? De vestris semper aestuat carcer, de vestris semper metalla suspirant, de vestris semper bestiae saginantur, de vestris semper munerarii noxiorum greges pascunt. Nemo illic christianus, nisi plane tantum christianus; aut si et aliud, iam non christianus.(3)

XLV. Nos ergo soli innocentes. Quid mirum, si necesse est? Enimvero necesse est. Innocentiam a Deo edocti et perfecte eam novimus, ut a perfecto magistro revelatam, et fideliter custodimus, ut ab incontemptibili dispectore mandatam. Vobis autem humana aestimatio innocentiam tradidit, humana item dominatio imperavit. Inde nec plenae nec adeo timendae estis disciplinae ad innocentiae veritatem.(4) Tanta est prudentia hominis ad demonstrandum bonum, quanta auctoritas ad exigendum; tam illa falli facilis, quam ista contemni. Atque adeo quid plenius, dicere: « Non occides », an docere: « Ne irascaris quidem » ? Quid perfectius, prohibere adulterium, an etiam ab oculorum solitaria concupiscentia

(1) « Vinctorum singulorum no« mina, aetas, forma, crimen, quae « omnia *elogia* vocabantur iudici« bus in tabellis exarata offere« bantur, quando illi pro cuiusque « elogio poenam eius tempera« bant »; HAVERCAMP.

(2) *Manticularius* = fur, qui crumenas scrutatur.

(3) Si quis christianus reus reperitur, hoc solum crimen habet, quod sit christianus. Si ob aliud crimen arguitur, certe non est amplius christianus. Cfr. MIN. *Octav.* 35.

(4) Vestra *disciplina* vel agendi ratio non debet esse adeo sollicita, ut quandam innocentiam praeseferre possit, vel non adeo sollicita, quantum exigit vera innocentia.

arcere? Quid eruditius, de maleficio, an et de maliloquio interdicere? Quid instructius, iniuriam non permittere, an nec vicem iniuriae sinere? Dum tamen sciatis ipsas leges quoque vestras, quae videntur ad innocentiam pergere, de divina lege ut antiquiore formam mutuatas. Diximus iam de Moysi aetate.

Sed quanta auctoritas legum humanarum, cum illas et evadere homini contingat et plerumque in admissis delitescenti et aliquando contemnere ex voluntate vel necessitate delinquenti? Recogitate ea etiam pro brevitate supplicii cuiuslibet, non tamen ultra mortem remansuri. Sic et Epicurus omnem cruciatum doloremque depretiat (1) modicum quidem contemptibilem pronunciando, magnum vero non diuturnum. Enimvero nos, qui sub Deo, omnium speculatore, dispungimur, quique aeternam ab eo poenam providemus, merito soli innocentiae occurrimus (2) et pro sapientiae plenitudine et pro latebrarum difficultate et pro magnitudine cruciatus, non diuturni, verum sempiterni, eum timentes, quem timere debebit et ipse, qui timentes iudicat (3) Deum, non proconsulem timentes.

XLVI. Constitimus, ut opinor, adversus omnium criminum intentationem, quae christianorum sanguinem flagitat. Ostendimus totum statum nostrum, et quibus modis probare possimus, ita esse sicut ostendimus, ex fide scilicet et antiquitate divinarum Litterarum, item ex confessione spiritualium potestatum. Qui nos revincere audebit, non arte verborum, sed eadem forma, qua probationem constituimus, de veritate?

Sed dum unicuique manifestatur veritas nostra, interim incredulitas, dum de bono sectae huius obducitur, quod usui

(1) *Depretiat* = haud magni faciendum esse existimat.

(2) *Sub Deo dispungimur* = Dei qui omnia novit, examini subicimur. *Innocentiae occurrimus* = innocentiam sectamur.

(3) *Qui timentes* Deum seu christianos *iudicat.*

iam et de commercio innotuit, non utique divinum negotium existimat, sed magis philosophiae genus.(1) Eadem, inquit, et philosophi monent atque profitentur, innocentiam, iustitiam, patientiam, sobrietatem, pudicitiam.

Cur ergo quibus comparamur de disciplina, non proinde illis adaequamur ad licentiam impunitatemque disciplinae? vel cur et illi, ut pares nostri, non urgentur ad officia, quae nos non obeuntes periclitamur? Quis enim philosophum sacrificare aut deierare aut lucernas meridie vanas proferre compellit? Quinimo et deos vestros palam destruunt et superstitiones vestras commentariis quoque accusant laudantibus vobis. Plerique etiam in principes latrant sustinentibus vobis, et facilius statuis et salariis remunerantur, quam ad bestias pronunciantur. (2) Sed merito; philosophi enim non christiani cognominantur. Nomen hoc philosophorum daemonia non fugat. Quidni? cum secundum deos (3) philosophi daemonas deputent. Socratis vox est: « Si daemonium permittat ». Idem et cum aliquid de veritate sapiebat deos negans, Aesculapio tamen gallinaceum prosecari iam in fine iubebat, (4) credo ob honorem patris eius, quia Socratem Apollo sapientissimum omnium cecinit. O Apollinem inconsideratum! Sapientiae testimonium reddidit ei viro, qui negabat deos esse. In quantum odium flagrat veritas, in tantum qui eam ex fide praestat offendit; qui autem adulterat et affectat, (5) hoc maxime nomine gratiam pangit apud insectatores veritatis.

(1) *Incredulitas - philosophiae genus.* Sensus est: incredulitas *obducitur* seu refellitur bono nostrae religionis, quod iam ex consuetudine gentilium cum christianis *innotuit.* Nihilominus non cedit arma, et contendit religionem christianam non esse divinam, sed humanam.

(2) *Ad bestias pronunciantur* seu postulantur. Respicit: *christianos ad leonem.* Cfr. c. XL.

(3) *Secundum deos* = philosophi post deos locum et honorem daemoniis tribuunt.

(4) *Prosecari iubebat* = immolari iubebat.

(5) *Affectat* = corrumpit.

Quam illusores et corruptores mimice philosophi affectant veritatem et affectando corrumpunt, ut qui gloriam captant, christiani et necessario appetunt et integre praestant, ut qui saluti suae curant. Adeo neque de scientia, neque de disciplina, ut putatis, aequamur. Quid enim Thales ille, princeps physicorum, sciscitanti Croeso de divinitate certum renunciavit, commeatus deliberandi saepe frustratus? (1) Deum quilibet opifex christianus et invenit et ostendit et exinde totum, quod in Deum (2) quaeritur, re quoque assignat; licet Plato affirmet factitatorem universitatis neque inveneri facilem, et inventum enarrari in omnes difficilem.

Ceterum si de pudicitia provocemus, lego partem sententiae atticae in Socratem corruptorem adolescentium pronunciatum. Sexum nec femineum mutat christianus. Novi et Phrynem meretricem Diogenis supra recumbentis ardorem subantem; audio et quendam Speusippum de Platonis schola in adulterio periisse. Christianus uxori suae soli masculus nascitur. Democritus excaecando semetipsum, quod mulieres sine concupiscentia adspicere non posset et doleret, si non esset potitus, incontinentiam emendatione profitetur. At christianus salvis oculis feminas non videt; animo adversus libidinem caecus est. (3)

Si de probitate defendam, ecce lutulentis pedibus Diogenes superbos Platonis toros alia superbia deculcat. (4) Christianus

(1) Cecilius apud MINUCIUM (*Octav.* 13.) haec refert de Simonide Milesio.

(2) *In Deum* = circa Deum.

(3) *Democritus -profitetur. Emendatio* seu excaecatio ostendit Democritum deditum fuisse voluptatibus. Factum vero dubium est.

(4) Narrat DIOGENES LAËRTIUS in *Vita Diogenis*, eum dixisse dum calcabat Platonis stromata: « Calco « Platonis inane studium »; cui Plato respondit: « Quantum fa- « stum ostendis, qui nullo tumere « fastu videri cupis ». Mutua haec responsio ab aliis sic exhibetur: « Calco Platonis fastum (Diogenes); « sed alio fastu » (Plato). Tertullianus *lutulentos pedes* commemorat, quia Diogenes nudis pedibus ambulabat, eumque discipuli imitabantur.

nec in pauperem superbit. Si de modestia certem, ecce Pythagoras apud Thurios, Zenon apud Prienenses tyrannidem affectant: christianus vero nec aedilitatem.(1) Si de aequanimitate congrediar, Lycurgus apocarteresin(2) optavit, quod leges eius Lacones emendassent: christianus etiam damnatus gratias agit. Si de fide comparem, Anaxagoras depositum hospitibus denegavit:(3) christianus et extra fidelis vocatur. Si de simplicitate consistam, Aristoteles familiarem suum Hermian turpiter loco excedere fecit:(4) christianus nec inimicum suum laedit. Idem Aristoteles tam turpiter Alexandro, regendo potius, adulatur, quam Plato a Dionysio ventris gratia venditatur.(5) Aristippus in purpura sub magna gravitatis superficie nepotatur,(6) et Hippias dum civitati insidias disponit, occiditur.(7) Hoc pro suis omni atrocitate dissipatis nemo unquam tentavit christianus.

Sed dicet aliquis, etiam de nostris excedere quosdam a regula disciplinae. Desinunt tamen christiani haberi penes nos: philosophi vero illi cum talibus factis in nomine et honore sapientiae perseverant. Adeo quid simile philosophus et christianus, Graeciae discipulus et caeli, famae negotiator

(1) *Aedilitas* munus erat inferioris ordinis.

(2) *Apocarteresis* est mors per inediam.

(3) « Nonne alludit ascriptam « a Plutarcho historiam Periclis, « qui repetundarum, peculatus, at« que pecuniae, quae apud Pry« tanos deposita fuerat, expensae « accusatus, ut se purgaret, Ana« xagoram trepidans eiecit ex « urbe misitque in exsilium? »; Le Nourry.

(4) Hermias, Atarnensium rex, Aristoteli filiam uxorem dedit. Non probatur documentis quod Tertullianus asserit de eiectione.

(5) Aristoteles, Alexandri Magni praeceptor, tam turpiter gratiam captat Alexandri, quam nequiter Plato lautitias et coenas Dionysii.

(6) *Aristippus sub gravitatis specie nepotatus est,* seu luxuriose vixit.

(7) « Nefarius Hippias, Pisi« strati filius, qui in Marathonia « pugna cecidit, arma contra pa« triam ferens » ; ita Cicero *Ep.* l. IX *ad Atticum*, 12. Tamen non est certum eum fuisse philosophum, quemadmodum insinuat Tertullianus.

et vitae,[1] verborum et factorum operator, et rerum aedificator et destructor, amicus et inimicus erroris, veritatis interpolator et integrator et expressor,[2] et furator eius et custos?

XLVII. Antiquior omnibus veritas, nisi fallor, et hoc mihi proficit antiquitas praestructa divinae literaturae, quo facile credatur, thesaurum eam fuisse posteriori cuique sapientiae. Et si non onus iam voluminis temperarem,[3] excurrerem in hanc quoque probationem. Quis poëtarum, quis sophistarum, qui non de prophetarum fonte potaverit? Inde igitur philosophi sitim ingenii sui rigaverunt, ut quae de nostris habent, ea nos comparent illis.[4] Inde, opinor, et a quibusdam philosophia quoque eiecta est, a Thebaeis dico et a Spartiatis et Argivis. Dum ad nostra conantur[5] et homines gloriae, ut diximus, et eloquentiae solius libidinosi, si quid in sanctis Scripturis offenderunt digestis, proprio instituto curiositatis ad propria verterunt, neque satis credentes, divina esse, quo minus interpolarent, neque satis intelligentes, ut adhuc tunc subnubila, etiam ipsis Iudaeis obumbrata, quorum propria videbantur. Nam et si qua simplicitas erat veritatis, eo magis scrupolositas humana fidem aspernata mutabat, per quod incertum miscuerunt etiam quod invenerant certum.

Inventum enim solummodo Deum non ut invenerant disputaverunt, ut et de qualitate et de natura eius et de sede disceptent. Alii incorporalem asseverant, alii corporalem, ut tam Platonici quam Stoici; alii ex atomis, alii ex numeris,

(1) Christianus bonis operibus vitam aeternam sibi acquirit.

(2) *Veritatis integrator*, quia veritatem integram tenet, et *expressor*, quia verbis operibusque profitetur.

(3) *Et si non onus iam voluminis temperarem* = et nisi volumen plus aequo extenderetur.

(4) Quoniam philosophi acceperunt de sacris Litteris, quodammodo similes illis efficimur, ut comparatio inter christianos et philosophos instituatur.

(5) *Dum ad nostra conantur* = dum aliquid de nostro sapere volunt.

qua Epicurus et Phythagoras; alii ex igni, qua Heraclito visum est; et Platonici quidem curantem rerum, contra Epicurei otiosum et inexercitum, et ut ita dixerim, neminem humanis rebus; (1) positum vero extra mundum Stoici, qui figuli modo extrinsecus torqueat molem hanc; intra mundum Platonici, qui gubernatoris exemplo intra id maneat, quod regat. Sic et de ipso mundo, natus innatusve sit, decessurus mansurusve sit, variant; sic et de animae statu, quam alii divinam et aeternam alii dissolubilem contendunt: ut quis sensit, ita et intulit aut reformavit.

Nec mirum, si vetus instrumentum (2) ingenia philosophorum interverterunt. Ex horum semine etiam nostram hanc novitiolam paraturam (3) viri quidam suis opinionibus ad philosophicas sententias adulteraverunt et de una via obliquos multos et inexplicabiles tramites sciderunt. Quod ideo suggesserim, ne cui nota varietas sectae huius in hoc quoque nos philosophis adaequare videatur, et ex varietate defensionum iudicet veritatem. (4) Expedite autem praescribimus adulteris nostris, illam esse regulam veritatis, quae veniat a Christo transmissa per comites ipsius, quibus aliquanto posteriores diversi isti commentatores probabuntur. (5)

Omnia adversus veritatem de ipsa veritate constructa sunt, operantibus aemulationem istam spiritibus erroris. Ab his adulteria huiusmodi salutaris disciplinae subornata, ab his quaedam etiam fabulae immissae, quae de similitudine fidem infirmarent veritatis, vel eam sibi potius evincerent, ut quis ideo non putet christianis credendum, quia nec poëtis

(1) *Neminem humanis rebus* = negligentem res humanas, tamquam non esset.

(2) *Vetus instrumentum* = Vetus Testamentum.

(3) *Novitiolam paraturam* = Novum Testamentum.

(4) Codex Fuldensis habet: « et ex « varietate defectionem vindicet » seu asserat vel inferat *veritatis*.

(5) Innuit Tertullianus argumentum *praescriptionis*, quod postea evolvit in aureo opusculo: *De praescriptione haereticorum*.

nec philosophis, vel ideo magis poëtis et philosophis existimet credendum, quia non christianis.

Itaque ridemur Deum praedicantes iudicaturum. Sic enim et poëtae et philosophi tribunal apud inferos ponunt. Et Gehennam si comminemur, quae est ignis arcani subterraneam ad poenam thesaurus, proinde decachinamur. Sic enim et Pyriphlegethon apud mortuos amnis est. Et si Paradisum nominemus, locum divinae amoenitatis recipiendis sanctorum spiritibus destinatum, maceria quadam igneae illius zonae a notitia orbis communis segregatum, Elysii campi fidem occuparunt. Unde haec, oro vos, philosophis aut poëtis tam consimilia? Non nisi de nostris sacramentis. (1) Si de nostris sacramentis, ut de prioribus, ergo fideliora sunt nostra magisque credenda, quorum imagines quoque fidem inveniunt. Si de suis sensibus, (2) iam ergo sacramenta nostra imagines posteriorum habebuntur, quod rerum forma non sustinet: (3) nunquam enim corpus umbra, aut veritatem imago praecedit.

XLVIII. Age iam, si qui philosophus affirmet, ut ait Laberius de sententia Pythagorae (4) hominem fieri ex mulo, colubram ex muliere, et in eam opinionem omnia argumenta eloquii virtute distorserit, nonne consensum movebit et fidem infiget etiam ab animalibus abstinendi? Propterea persuasum quis habeat, ne forte bubulam de aliquo proavo suo obsonet. (5) At enim christianus si de homine hominem ipsumque de Caio Caium reducem repromittat (6), lapidibus magis, nec saltem coetibus a populo exigetur.

(1) *De nostris sacramentis* = de nostra doctrina supernaturaliter revelata.

(2) *Si de suis sensibus* = si philosophi viribus suis naturalibus imagines illas veritatis acquisiverunt.

(3) *Rerum forma non sustinet* = natura non sustinet, seu repugnat.

(4) Pythagoras metempsychosim docuit.

(5) *Obsonet* = in cibum capiat.

(6) *Reducem repromittet,* scilicet per resurrectionem. *Coetibus*; Havercamp coniicit *caestibus*; Ursinus *calcibus*.

Si quaecumque ratio praeest [1] animarum humanarum reciprocandarum in corpora, cur non in eandem substantiam redeant, cum hoc sit restitui id esse, quod fuerat? Iam non ipsae sunt, quae fuerant, quia non potuerunt esse quod non erant, nisi desinant esse quod fuerant. Multis etiam locis ex otio opus erit, si velimus ad hanc partem lascivire, quis in quam bestiam reformari videretur. [2] Sed de nostra magis defensione, qui proponimus, multo utique dignius credi, hominem ex homine rediturum quemlibet pro quolibet, dum hominem; ut eadem qualitas animae in eandem restauraretur conditionem, etsi non effigiem. [3] Certe quia ratio restitutionis destinatio iudicii est, necessario idem ipse, qui fuerat, exhibebitur, ut boni seu contrarii meriti iudicium a Deo referat. Ideoque repraesentabuntur et corpora, quia neque pati quidquam potest anima sola sine materna stabili, id est carne, et quod omnino de iudicio Dei pati debent animae, non sine carne meruerunt intra quam omnia egerunt.

Sed quomodo, inquis, dissoluta materia exhiberi potest? Considera temetipsum, o homo, et fidem rei invenies. Recogita, quid fueris antequam esses. Utique nihil; meminisses enim, si quid fuisses. Qui ergo nihil fueras priusquam esses, idem nihil factus cum esse desieris, cur non possis rursus esse de nihilo eiusdem ipsius auctoris voluntate, qui te

(1) *Praeest* = valet. Codex Fuldensis: « Quasi non quaecumque « ratio praeest animarum huma- « narum in corpora reciprocan- « darum, ipsa exigat illas in eadem « corpora revocari: quia hoc sit « revocari, id est esse quod fue- « rant. Nam si non id sunt quod « fuerant, id est humanum et id- « ipsum corpus indutae, iam non « ipsae erunt, quae fuerant. Porro « quae iam non erunt ipsae, quo- « modo rediisse dicentur? Aut « aliud factae non erunt ipsae, aut « manentes ipsae non erunt a- « liunde ».

(2) Multis argumentis refelli potest theoria de transmigratione animarum.

(3) Haec verba doctrinam Tertulliani circa animae materialitatem insinuant. Loquitur enim de restauratione *qualitatis* animae et de *effigie* animae. Quae phrases insinuant quamdam materialitatem animae convenire.

voluit esse de nihilo? Quid novi tibi eveniet? Qui non eras, factus es; cum iterum non eris, fies. Redde, si potes, rationem, qua factus es, et tunc require, qua fies. Et tamen facilius utique fies quod fuisti aliquando, quia aeque non difficile factus es quod nunquam fuisti aliquando.

Dubitabitur, credo, de Dei viribus, qui tantum corpus hoc mundi de eo, quod non fuerat, non minus quam de morte vacationis et inanitatis, imposuit animatum spiritu omnium animarum animatore, signatum et ipsum humanae resurrectionis exemplum in testimonium vobis. (1) Lux quotidie interfecta resplendet et tenebrae pari vice decedendo succedunt, sidera defuncta vivescunt, tempora ubi finiuntur, incipiunt; fructus consummantur et redeunt, certe semina non nisi corrupta et dissoluta fecundius surgunt; omnia pereundo servantur, omnia de interitu reformantur. Tu homo, tantum nomen, si intelligas te vel de titulo Pythiae, (2) discens, dominus omnium morientium et resurgentium, ad hoc morieris, ut pereas? Ubicumque resolutus fueris, quaecumque te materia destruxerit, hauserit, aboleverit, in nihilum prodegerit, reddet te. Eius est nihilum ipsum, cuius et totum.

— Ergo, inquitis, semper moriendum erit et semper resurgendum? — Si ita rerum dominus destinasset, ingratis (3) experireris conditionis tuae legem. At nunc non aliter destinavit quam praedicavit. Quae ratio universitatem ex diversitate composuit, ut omnia aemulis substantiis sub unitate constarent ex vacuo et solido, ex animali et inanimali, ex comprehensibili et incomprehensibili, ex luce et tenebris, ex ipsa vita et morte, eadem aevum quoque ita destinata et distincta conditione conseruit, ut prima haec pars, ab exordio rerum quam incolimus, temporali aetate ad finem defluat, sequens

(1) Deus mundum condidit ex nihilo et ex materia inani et vacua (*de morte vacationis et inanitatis*). Hinc signum resurrectionis.

(2) *Titulus Pythiae* seu inscriptio Delphis posita ad fores Apollinis: Γνῶθι σαυτόν = nosce teipsum.

(3) *Ingratis* = etiam nolens.

vero, quam exspectamus, in infinitam aeternitatem propagetur.

Cum ergo finis et limes, medius qui interhiat, affuerit, ut etiam ipsius mundi species transferatur aeque temporalis, quae illi dispositioni aeternitatis aulaei vice oppansa est, (1) tunc restituetur omne humanum genus ad expungendum (2) quod in isto aevo boni seu mali meruit, et exinde pendendum in immensam aeternitatis perpetuitatem. Ideoque nec mors iam, nec rursus ac rursus resurrectio, sed erimus idem qui nunc, nec alii post, Dei quidem cultores apud Deum semper, superinduti substantia propria aeternitatis, (3) profani vero et qui non integre ad Deum, in poena aeque iugis ignis, habentes ex ipsa natura eius divinam scilicet subministrationem incorruptibilitatis.

Noverunt et philosophi diversitatem arcani et publici ignis. Ita longe alius est qui usui humano, alius qui iudicio Dei apparet, sive de caelo fulmina stringens, sive de terra per vertices montium eructans; non enim absumit quod exurit, sed dum erogat, reparat. Adeo manent montes semper ardentes, et qui de caelo tangitur, salvus est, ut nullo iam igni decinerescat. Et hoc erit testimonium ignis aeterni, hoc exemplum iugis iudicii poenam nutrientis: montes uruntur et durant. Quid nocentes et Dei hostes?

XLIX. Haec sunt, quae in nobis solis praesumptiones vocantur, in philosophis et poëtis summae scientiae et insignia ingenia. Illi prudentes, nos inepti; illi honorandi, nos irridendi, imo eo amplius et puniendi. Falsa nunc sint quae tuentur et merito praesumptio, attamen necessaria; inepta, attamen utilia: siquidem meliores fieri coguntur qui eis cre-

(1) *Quae* (mundi species) *illi dispositioni aeternitatis* (statui vitae futurae) *aulaei vice* (veli instar) *oppansa est* (obducta est).

(2) *Ad expungendum* = ad solvendum et accipiendum praemium vel poenam.

(3) *Substantia propria aeternitatis* = incorruptibilitate, qua beati induentur.

dunt, metu aeterni supplicii et spe aeterni refrigerii. Itaque non expedit falsa dici, nec inepta haberi quae expedit vera praesumi. Nullo titulo damnari licet omnino quae prosunt. In vobis itaque praesumptio est haec ipsa, quae damnat utilia. Proinde nec inepta esse possunt; certe etsi falsa et inepta, nulli tamen noxia. Nam et multis aliis similia, quibus nullas poenas irrogatis, vanis et fabulosis, inaccusatis et impunitis [1] ut innoxiis. Sed in eiusmodi enim, si utique, irrisui iudicandum est, non gladiis et ignibus et crucibus et bestiis; [2] de qua iniquitate saevitiae non modo coecum hoc vulgus exsultat et insultat, sed et quidam vestrum, quibus favor vulgi de iniquitate captatur, gloriantur. Quasi non totum, quod in nos potestis, nostrum sit arbitrium.

Certe, si velim, christianus sum. Tunc ergo me damnabis, si damnari velim. Cum vero quod in me potes, nisi velim, non potes, iam meae voluntatis est quod potes, non tuae potestatis. Proinde et vulgus vane de nostra vexatione gaudet. Proinde enim nostrum est gaudium, quod sibi vindicat, qui malumus damnari quam a Deo excidere. Contra illi, qui nos oderunt, dolere, non gaudere, debebant, consecutis nobis quod elegimus.

L. — Ergo, inquitis, cur querimini, quod vos insequamur, si pati vultis, cum diligere debeatis, per quos patimini quod vultis? — Plane volumus pati, verum eo more, quo et bellum miles. Nemo quidem libens patitur, cum et trepidare et periclitari sit necesse. Tamen et praeliatur omnibus viribus, et vincens in praelio gaudet qui de praelio querebatur, quia et gloriam consequitur et praedam. Praelium est nobis quod provocamur ad tribunalia, ut illic sub discrimine capitis pro

(1) Quidam *inaccusatis et impunitis* accipiunt ut participia; alii ut verba, et tunc sensum sic explicant: nam ut multos alios neque accusatis, neque punitis; propter similes opiniones, quae vobis videntur vanae et fabulosae.

(2) Si religio christiana innocens est, licet inepta, risui exponenda est, non poenis.

veritate certemus. Victoria est autem, pro quo certaveris obtinere. Ea victoria habet et gloriam placendi Deo et praedam vivendi in aeternum.

— Sed obducimur.(1) — Certe cum obtinuimus. Ergo vicimus, cum occidimur, denique evadimus cum obducimur. Licet nunc sarmentitios et semaxios appelletis, quia ad stipitem dimidii axis revincti, sarmentorum ambitu exurimur.(2) Hic est habitus victoriae nostrae, haec palmata vestis,(3) tali curru triumphamus. Merito itaque victis non placemus; propterea enim desperati et perditi existimamur. Sed haec desperatio et perditio penes vos, in causa gloriae et famae vexillum virtutis extollunt.

Mucius dexteram suam libens in ara reliquit: o sublimitas animi! Empedocles totum sese Catanensium Aetnaeis incendiis donavit: o vigor mentis! Aliqua Carthaginis conditrix rogo se secundum matrimonium dedit:(4) o praeconium castitatis! Regulus ne unus pro multis hostibus viveret, toto corpore cruces patitur: o virum fortem et in captivitate victorem! Anaxarchus cum in exitum tisanae pilo contunderetur: « Tunde, tunde, aiebat, Anaxarchi follem, Anaxarchum enim non tundis »:(5) o philosophi magnanimitatem, qui de tali exitu suo etiam iocabatur! Omitto eos, qui cum gladio proprio vel alio gener emortis mitiore de laude pepigerunt. Ecce enim et tormentorum certamina coronantur a vobis. Attica meretrix, carnifice iam fatigato postremo

(1) *Obducimur* = morimur in praelio.

(2) *Sarmentitios et semaxios* ethnici christianos sarcastice appellabant, quia christiani stipiti vel palo, quod axe minus erat proindeque *dimidium axis*, alligabantur; ac *sarmentis* undequaque circumpositis vivi igne comburebantur.

(3) *Palmata vestis* erat vestis triumphatorum, quae *palmata* dicebatur ob diversas palmas intextas.

(4) Dido.

(5) *Cum Anaxarchus in exitum tisanae* vel ut alii codices *in exemplum ptisanae* seu ad modum hordeacei *tunderetur, aiebat: Tunde tunde Anaxarchi follem* seu corpus, quod folliculi instar est animae; *Anaxarchum enim non tundis.*

linguam suam comesam in faciem tyranni saevientis exspuit, ut exspueret et vocem, ne coniuratos confiteri possit, si etiam victa voluisset. (1) Zeno Eleates consultus a Dionysio quidnam philosophia praestaret, cum respondisset : « contemptum mortis », impassibilis flagellis tyranni obiectus sententiam suam ad mortem usque signabat. (2) Certe Laconum flagella sub oculis etiam hortantium propinquorum acerbata tantum honorem tolerantiae domui conferunt, quantum sanguinis fuderint. (3)

O gloriam licitam, quia humanam, cui nec praesumptio perdita nec persuasio desperata reputatur in contemptu mortis atrocitatis omnimodae, cui tantum pro patria, pro imperio, pro amicitia pati permissum est, quantum pro Deo non licet! Et tamen illis omnibus et statuas defunditis et imagines inscribitis et titulos inciditis in aeternitatem. Quantum de monumentis potestis scilicet, praestatis et ipsi quodammodo mortuis resurrectionem. Hanc qui veram a Deo sperat, si pro Deo patiatur, insanus est.

Sed hoc agite, boni praesides, meliores multo apud populum, si illis christianos immolaveritis, cruciate, torquete,

(1) Alludit ad notam historiam Leaenae. « Scortum hoc lyrae « cantu familiare Harmodio et Ari- « stogitoni, consilia eorum de ty- « rannicidio, ad mortem usque ex- « cruciata a tyrannis, non prodidit. « Quamobrem Athenienses eam in « honore habere volentes, ne ta- « men scortum celebrasse videren- « tur, animal nominis eius fecere, « atque ut intelligeretur causa ho- « noris in opere linguam addi ab « artifice vetuerunt »; Pamelius.

(2) « Error est vel Tertulliani « vel librarii potius; debuit enim « scribere *a Diomedonte,* cui hoc « tribuitur a Diogene Laertio »; Havercamp.

(3) Tertullianus rem ipsam illustrat : « Hodie apud Lacedaemo- « nios solemnitas maxima est δια- « μαστίγωσις, id est flagellatio: non « latet in quo sacro ante aram no- « biles quique adolescentes flagellis « affliguntur, adstantibus parenti- « bus ac propinquis, atque uti perse- « verent adhortantibus. Ornamen- « tum enim et gloriam deputabitur « maiore quidem titulo, si anima « potius cesserit plagis, quam cor- « pus » (*Ad martyr.* 4). Idem narrant historici prophani.

damnate, atterite nos; probatio est enim innocentiae nostrae iniquitas vestra. Ideo nos haec pati Deus patitur. Nam et proxime ad lenonem damnando christianam potius quam ad leonem confessi estis, labem pudicitiae apud nos atrociorem omni poena et omni morte reputari. Nec quicquam tamen proficit exquisitior quaeque crudelitas vestra; illecebra est magis sectae. Plures efficimur, quotiens metimur a vobis; semen est sanguis christianorum.

Multi apud vos ad tolerantiam doloris et mortis hortantur, ut Cicero in *Tusculanis,* ut Seneca in *Fortuitis,* ut Diogenes, ut Pyrrhon, ut Callinicus; nec tamen tantos inveniunt verba discipulos, quantos christiani factis docendo. Illa ipsa obstinatio, quam exprobratis, magistra est. Quis enim non contemplatione eius concutitur ad requirendum, quid intus in re sit? Quis non, ubi requisivit, accedit; ubi accessit, pati exoptat, ut totam Dei gratiam redimat, ut omnem veniam ab eo compensatione sanguinis sui expediat? Omnia enim huic operi delicta donantur. Inde est, quod ibidem sententiis vestris gratias agimus. Ut est aemulatio divinae rei et humanae, cum damnamur a vobis, a Deo absolvimur.

# INDEX RERUM NOTABILIUM

## OCTAVII M. MINUCII FELICIS

## APOLOGETICI Q. S. FLORENTIS TERTULLIANI

# INDEX VOLUMINIS

M. Minucii Felicis Octavius

## Q. Sept. Flor. Tertulliani Apologeticum